DE DECLAMATIONUM ROMANARUM ARGUMENTIS OBSERVATIONES SELECTAE

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI
CONSOCIATA

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
SCRIPSIT

MAXIMILIANUS SCHAMBERGER
COBURGENSIS

HALIS SAXONUM
TYPIS WISCHANI ET BURKHARDTI
MDCCCCXVII

DE HAC DISSERTATIONE PROBANDA
AD PHILOSOPHORUM ORDINEM RETTULIT
GEORGIUS WISSOWA

Examen rigorosum habitum est die 11. mens. Dec. a. 1916

GEORGIO WISSOWA

S.

Rhetores Graeci in Italia iam altero a. Chr. n. saeculo multi erant. Quos constat anno 161 senatus consulto una cum philosophis ex Italia esse expulsos.[1]) Ii autem rhetores, qui sibi nomen rhetorum Latinorum dabant et circa initium primi a. Chr. n. saeculi Romae docere coeperant, a rhetoribus Graecis eo differebant, quod artis rhetoricae proprietatem a Graecis mutuati discipulos lingua Latina una exerceri volebant.[2]) Rhetores Latini primi erant libertini, et „primus omnium Latinus rhetor Romae fuit puero Cicerone Plotius",[3]) qui erat Marii amicus, viri litterarum Graecarum ignari. Accepimus Crassum et Domitium censores anno a. Chr. n. 92 „ludum impudentiae" edicto suo clausisse.[4]) Quod cur fecerint, in ambiguo est. Verisimile est rhetores Latinos in declamationibus veritos non esse res nuper gestas et nobiles personas vivas attingere atque aggredi. Neque illud edictum plane irritum fuisse existimo; nam inde ab hac aetate rhetores argumenta ex historia temporis praeteriti petebant vel personas non nomine, sed solo genere definitas ad declamationes fingendas adhibebant. Oratores magni et nobiles despiciebant rhetores Latinos eorumque genus docendi;[5]) imprimis Cicero putabat oratori futuro opus esse

---

1) Suet. de rhet. 1. Gell. XV 11, 1.

2) Marx, auct. ad Her. p. 145.

3) Sen. contr. II praef. 5.

4) Cic. de orat. III 94. Tac. dial. 35.

5) E. Norden, Ant. Kunstpr. I 248.

ingenio neque minus discipulum Graecorum litteris et maxime philosophia institui necesse esse existimabat. Aetate imperatorum, cum eloquentia a foro et curia ad auditorium confugit, rhetorum auctoritas crevit. Blandus „primus eques Romanus Romae docuit; ante illum intra libertinos praeceptores pulcherrimae disciplinae continebantur, et minime probabili more turpe erat docere, quod honestum erat discere.“ [1]) Rhetores ipsi inter se differebant genere dicendi, tum alii lingua Latina sola declamabant velut Cestius et Argentarius, qui Graeci erant nati, alii, „qui non contenti unius linguae eloquentia, cum Latine declamaverant, toga posita sumpto pallio quasi persona mutata rediebant et Graece declamabant; ex quibus fuit Sabinus Clodius, in quem uno die et Graece et Latine declamantem multa urbane dicta sunt.“ [2]) Cum aetate imperatorum periculosum esset res nuper gestas attingere — iam „Sulla voluit ne in quemvis impune declamari liceret“ [3]) —, mirandum non est declamationum argumenta magis magisque a veritate remota esse. Etsi notum est scholae rhetoricae auctoritatem praecipue primo p. Chr. n. saeculo permagnam fuisse per omnia litterarum genera, tamen non defuerunt, qui rhetorum declamationes inutiles esse putarent neque quicquam conferre ad eloquentiam adipiscendam. Iuvenalis, qui usque ad mediam fere aetatem declamavit, in satiris ipse scholam rhetoricam acerbe castigat [4]); neque minus Tacitus [5]) et Persius [6]) rhetorum declamationes carpunt, maxime autem Petronius, qui dicit sat. 1 § 3: „et ideo adulescentulos existimo in scholis stultissimos fieri, quia nihil ex his, quae in usu

---

1) Sen. contr. II praef. 5.

2) Sen. contr. IX 3, 13.

3) Cic. epist. III 11, 2.

4) Inv. sat. VII 150—170.

5) Tac. dial. 35.

6) Pers. sat. III 45.

habemus, aut audiunt aut vident, sed piratas cum catenis in litore stantes, sed tyrannos edicta scribentes, quibus imperent filiis, ut patrum suorum capita praecidant, sed responsa in pestilentiam data, ut virgines tres aut plures immolentur, sed mellitos verborum globulos et omnia dicta factaque quasi papavere et sesamo sparsa.“ Frustra Quintilianus in institutione oratoria[1]) ad vitam veram rhetores revocare studuit.

Philosophi Graeci rhetorum provinciam ὑποθέσει tribuebant et in partes tres dividebant: genus iudiciale, genus deliberativum, genus demonstrativum.[2]) Qua in dispositione Hermagoras id novavit, ut etiam θέσιν rhetoribus daret, quam ob rem a philosophis valde vituperatus est, qui θέσιν sibi vindicantes ab oratoris officio remotam esse dicebant. Θέσις cum esset quaestio infinita, in qua neque personae neque tempora neque loca indicabantur, velut: „Ecquid sit bonum praeter honestatem? Verine sint sensus? Quae sit mundi forma? Quae sit solis magnitudo?“[3]), a Graecis numerari non poterat in genere deliberativo. Quid Romani θέσεως loco, nisi voce Graeca utebantur, dixerint, apparet ex Quint. inst. orat. III 5,4: „Item convenit quaestiones esse aut infinitas aut finitas. infinitae sunt, quae remotis personis et temporibus et locis ceterisque similibus in utramque partem tractantur, quod Graeci θέσιν dicunt, Cicero propositum, alii quaestiones universales civiles, alii quaestiones philosopho convenientes, Athenaeus partem causae appellat.“ § 11 „quidam putant etiam eas theses posse aliquando nominari, quae personis causisque contineantur, aliter tantummodo positas, ut causa sit, cum Orestes accusatur, thesis an Orestes recte sit absolutus, cuius generis est ‘an Cato recte Marciam Hortensio tradiderit’.“ Pro ὑποθέσεως

1) Quint. inst. orat. II 10, 4; X 5, 14.

2) Cic. de inv. I 7.

3) Cic. l. c. I 8.

autem voce Romani causae vocabulum adhibebant; sed respiciendum est vocem causae apud Romanos artiorem fere habuisse vim; neque enim comprehendebat eas exercitationes, quae pertinebant ad genus deliberativum, velut suasiones, deliberationes, quaestiones finitas, et ad genus demonstrativum. Apud Ciceronem causa significat et causam veram et causam fictam. Erant autem duo genera causae fictae: in altero genere personae nominibus propriis distinctae appellabantur, in altero personae genere uno finitae occurrebant velut tyrannus, dives.[1]) Cicero utrumque genus causam vocabat. Blass[2]) autem dicit hoc interesse inter causas et controversias: causas habere personas nominibus propriis appellatas, controversias autem personas genere uno definitas. Quam distinctionem veteres non fecisse apparet ex Cic. de orat. II 100: „Quascumque causas erit tractaturus, diligenter penitusque cognoscat. Hoc in ludo praecipitur. faciles enim causae ad pueros deferuntur: Lex peregrinum vetat in murum ascendere. ascendit. hostes reppulit. accusatur.“ Inde clare videmus Ciceronem etiam id genus causarum fictarum, in quo personae nominatim non appellabantur, causas vocasse. Imperatorum autem aetate causae fictae nomen controversiae datum est, id quod apparet ex Sen. contr. I praef. 12: „Hoc enim genus materiae, quo nos exercemur, adeo novum est, ut nomen quoque eius novum sit. controversias nos dicimus: Cicero causas vocabat,“ cum suasoriae nomine tria genera declamationum comprehenderentur, primum suasio velut: suadetur Catoni, ut uxorem ducat, tum deliberatio velut: deliberat Cato an uxorem ducat, deni-

---

[1]) cf. Philostr. vit. Soph. I p. 2, 28 K.: *ἡ δὲ μετ᾽ ἐκείνην, ἣν οὐχὶ νέαν, ἀρχαία γάρ, δευτέραν δὲ μᾶλλον προσρητέον, τοὺς πένητας ὑπετυπώσατο καὶ τοὺς πλουσίους καὶ τοὺς ἀριστέας καὶ τοὺς τυράννους καὶ τὰς ἐς ὄνομα ὑποθέσεις, ἐφ᾽ ἃς ἡ ἱστορία ἄγει.*

[2]) Die griech. Beredsamkeit in dem Zeitraum von Alexander bis auf Augustus p. 112.

que quaestio finita[1]) velut: an Catoni uxor ducenda sit. Quaestio infinita non ὑπόθεσις erat, sed θέσις velut: an uxor ducenda sit. In controversiis nihil referebat, utrum nomina propria omnino non appellarentur an postea omitterentur; controversia nominibus omissis non desinebat generis iudicialis esse neque erat, cur inter theses numeraretur. Qua de causa R. Kohlium iniuria in dissertatione sua[2]) controversias, in quibus nomina non appellantur, theses vocasse existimo. Equidem sic rem se habere arbitror: ὑπόθεσις est controversia haec: „Aeger dominus petit a servo, ut sibi venenum daret; non dedit. cavit testamento, ut ab heredibus crucifigeretur. appellat servus tribunos," Sen. contr. III 9; θέσις autem est, cum ex controversia illa derivatur hoc: Num interdum liceat venenum dare.

Quales exercitationes ante Ciceronis aetatem in usu fuerint, cognoscimus ex Suet. de rhet. 1: „Sed ratio docendi nec una nec singulis eadem semper fuit, quando vario modo quisque discipulos exercuerunt. nam et dicta praeclare per omnes figuras, per casus et apologos aliter atque aliter exponere et narrationes cum breviter ac presse tum latius et uberius explicare consuerant, interdum Graecorum scripta convertere ac viros illustres laudare vel vituperare; quaedam etiam ad usum communis vitae instituta tum utilia et necessaria tum perniciosa et supervacanea ostendere; saepe fabulis fidem firmare aut demere, quod genus thesis et anasceuas et catasceuas Graeci vocant; donec sensim haec exoluerunt et ad controversiam ventum est." Suetonius in fine huius loci tales declamationes in animo habet: an

---

[1]) Haud ignoro Quintilianum (inst. orat. III 5, 4 sqq.) ὑποθέσεως loco dicere et quaestionem finitam et causam, neque vero obliviscendum est utrumque verbum artiorem fere habuisse vim apud Romanos.

[2]) De scholasticarum declamationum argumentis ex historia petitis, Paderbornae 1915.

lupanaria civitati sint utilia;[1]) an sit credibile super caput Valerii pugnantis sedisse corvum, qui os oculosque hostis Galli rostro atque alis everberaret.[2]) Memorabile est apud Romanos primo non controversias, sed theses viguisse, id quod testatur etiam Sen. contr. I praef. 12: „declamabat autem Cicero non quales nunc controversias dicimus, ne tales quidem, quales ante Ciceronem dicebantur, quas thesis vocabant.“ Aetate imperatorum, cum praeexercitationes excolebantur, thesis inter has numerabatur et grammatico tribuebatur, cum suasoria et controversia rhetori relinquerentur; tum theses interdum in usum vocabantur ad novas declamationes fingendas, velut ex thesi: an uxor ducenda sit, suasoria facta est nomine Catonis adiecto.[3]) Ad novas controversias fingendas rhetores adhibebant *σύγκρισιν*. Cuius apud Quintilianum, qui illam inter theses numerat, hoc affertur exemplum (inst. orat. II 4, 24): „iuris periti an militaris viri laus maior?“; quae *σύγκρισις* huic subest controversiae: „Vir fortis et orator consulatum petebant,“ Calp. Fl. 47; praeterea hae comparentur declamationes: „Contendunt orator medicus philosophus de bonis patris, qui testamento eum heredem reliquerat, qui se probasset amplius prodesse civibus,“ Ps. Quint. d. 268· „Qui tres liberos habebat, oratorem philosophum medicum, testamento quattuor partes fecit et singulas singulis dedit, unam eius esse voluit, qui esset utilissimus civitati,“ Quint. inst. orat. VII 1, 38.[4]) Sed haec hactenus.

---

[1]) cf. Dio Chrys. VII 133.

[2]) Quint. inst. orat. II 4, 18.

[3]) Quint. l. c. III 5, 8; II 4, 25. Cum thesis quasi antecedat suasoriam eamque comprehendat, intellegitur cur etiam rhetores thesin sibi vindicaverint.

[4]) cf. Fortunat. I 9 p. 87, 24; I 21 p. 97, 21 H.; Kohl nr. 18. 310; O. Hense, Die Synkrisis in d. antiken Literatur, Freiburg i. Br. 1893.

Vidimus non ab initio controversiam apud Romanos esse tractatam; nihilominus secundum ingenium populi Romani ita sese insinuavit haec declamatio, ut maxime in deliciis esset. In materia indaganda rhetores imprimis id spectabant, ut ab utraque parte graves sententias afferri possent. Ideo eas finxerunt controversias, in quibus vel lex varie explanari poterat vel certamen erat inter legem scriptam et innatam iuris opinionem vel duae leges inter se pugnabant. Num rhetores illi Latini, quorum ludos Crassus anno 92 clausit, primi controversiam et suasoriam declamaverint, incertum est, quamquam fieri potest, ut illi, qui linguam Graecam contemnebant et maxime argumenta Romana ad declamationes adhibebant, etiam primi controversiam et suasoriam ceteris exercitationibus praetulerint. In controversiis summa quaestio est, unde rhetores argumenta petierint. Habemus grave testimonium Suetonii de rhet. 1, cuius verba exscribere iuvat: „Veteres controversiae aut ex historiis trahebantur sicut sane nonnullae usque adhuc, aut ex veritate ac re, si qua forte recens accidisset; itaque locorum etiam appellationibus additis proponi solebant. sic certe collectae editaeque se habent, ex quibus non alienum fuerit unam et alteram exempli causa ad verbum referre: 'Aestivo tempore adolescentes urbani cum Ostiam venissent, littus ingressi piscatores trahentes rete adierunt et pepigerunt, bolum quanti emerent. nummos solverunt; diu exspectaverunt, dum retia extraherentur; aliquando extractis piscis nullus infuit, sed sporta auri obsuta. tum emptores bolum suum aiunt, piscatores suum.' 'Venalici cum Brundisii gregem venalium e navi educerent, formoso et pretioso puero, quod portitores verebantur, bullam et praetextam togam imposuerunt; facile fallaciam celarunt. Romam venitur, res cognita est, petitur puer, quod domini voluntate fuerit liber, in libertatem.'“ Videmus apud Suetonium duo genera controversiarum esse distincta, quarum in altero genere adhibebantur personae ex historia et vera et fabulari notae, in

altero, quod Suetonius duobus exemplis illustrat, argumenta ex vita cotidiana sumpta cum loci significatione. Altera ex illis Suetonii controversiis habet apud Ps. Quint. d. 340 hanc formam: „Qui voluntate domini in libertate fuerit, liber sit. Mango novicium puerum per publicanos transiecit praetextatum. dicitur ille liber.“ Notabile est postea indicium loci omissum esse. Iam nobis spectandae sunt controversiae, quae occurrunt apud auctorem ad Herennium et apud Ciceronem. Marx in praefatione editionis auctoris ad Herennium ostendit hunc inter eos fuisse rhetores, qui argumenta Romana ceteris praeferebant. Et profecto habemus apud auctorem illum multas controversias, quarum argumenta petita sunt ex historia Romana[1]) ita, ut eae res, quae gestae erant ante bellum Punicum secundum, in usum non vocentur; tum argumenta occurrunt ex historia fabulari Graecorum petita (cf. I 17 Orestes, I 18 Aiax), quae auctorem illum ex artibus Graecis mutuatum esse verisimile est. Sed etiam eas invenimus controversias, in quibus nomina non indicantur velut I 20: ‚Augur quidam damnatus de pecuniis repetundis in demortui locum nominavit; petitur ab eo multa“; tum paulo post: „Pater familias cum filium heredem faceret, testamento vasa argentea uxori legavit: ‘Heres meus uxori meae XXX pondo vasorum argenteorum dato, quae volet.’ Post mortem eius vasa pretiosa et caelata magnifice petit. Filius se, quae ipse vellet, in XXX pondo ei debere dicit.“ Mihi non dubium est, quin auctor ad Herennium certas res gestas in animo habuerit, id quod etiam Marx credit[2]); unde apparet iam apud auctorem ad Her. inveniri argumenta historica ad argumenta infinita traducendi morem, qui apud rhetores Graecos minus erat frequens. Ab auctore ad Her. ad Ciceronem transeuntes clare demonstrare possumus Ciceronem eas habere controversias, in quibus, quamquam nomina non sunt indicata, tamen de certis personis hi-

[1]) Marx, auct. ad Her. p. 106

[2]) Marx, l. c. p. 108.

storicis cogitatum sit, cum auctor ad Her., qui easdem praebet controversias, nomina addat: Cic. de inv. II. 149: „quidam iudicatus est parentem occidisse . . . .“ cf. auct. ad Her. I. 23: „Malleolus iudicatus est matrem necasse“; Cic. de inv. II. 72: „Quidam imperator, cum ab hostibus circumsederetur . . .“ cf. auct. ad Her. I. 25: „C. Popilius, cum a Gallis obsideretur . . .“ Tum Cicero ab auctore ad Her. eo differt, quod habet argumenta ex universa historia Romana (cf. de inv. II. 78: Horatii et Curiatii) et ex vera Graecorum historia hausta, velut appellantur Rhodii (de inv. I 47. II 87. 98), Amphictyones (de inv. II 69), Lacedaemonii (de inv. II 96). Cum auctor ad Her., ut ostendit Marx, controversias ex artibus Graecis petitas moribus atque institutis populi Romani accommodare studeret, Cicero non dubitavit argumenta ex historia Graecorum petita nullis mutationibus afferre. Cognoscimus igitur iam aetate rei publicae liberae rhetores diversas secutos esse rationes, cum alii argumenta Romana in deliciis haberent, alii argumenta et Graeca et Romana aeque tractarent. Memoratu dignum etiam illud mihi videtur esse iam Ciceronis aetate in schola rhetorica controversias a vitae veritate satis abhorrentes declamatas esse; id quod docet Cic. de orat. II 100: „Hoc in ludo praecipitur; faciles enim causae ad pueros deferuntur: Lex peregrinum vetat in murum ascendere, ascendit, hostes reppulit, accusatur.“ Sane haec controversia, quae etiam a Fortunatiano (I 23 p. 99, 5 H.) affertur, non tam absurda est quam illa, quam legimus apud C. Iulium Victorem IV 8 (p. 393, 22 H.): „Vir si in templo Cereris fuerit inventus, capite puniatur: quaedam in templo Cereris puerum enixa est, petitur ad poenam puer.“

Haud aliter res se habet in suasoriis, quae semper certas personas et condiciones historicas flagitant. Cum apud auctorem ad Her.[1]) permulta argumenta ex historia

---

[1]) **Marx, l. c. p. 103.**

Romana petita inveniantur, Seneca praebet argumenta etiam ex historia Graeca et vera et fabulari hausta, quae rhetores Romanorum non ipsos finxisse, sed a rhetoribus Graecis mutuatos esse probabile est. Omnino suasoriam aetate imperatorum magis magisque evanuisse memorabile est.

Pars prior.

De controversiarum argumentis aetate imperatorum usitatis, quae spectant ad historiam vel veram vel fabularem.

Ex Suet. de rhet. 1 cognovimus iam Sullae aetate fuisse collectiones declamationum. Vetustissima, quae ad nos pervenit, collectio est Senecae patris, quae continet controversias et nonnullas suasorias. Nulla re impedimur putare earum, quas affert Seneca, controversiarum complures iam aetate rei publicae liberae exstitisse. Apud Senecam invenimus argumenta ex historia et Graeca et Romana petita; permulta autem argumenta infiniti generis sunt. Diversae collectionis pars sunt declamationes minores, quae falso Quintiliani nomine inscribuntur. Quibus in controversiis pauca nomina Graeca appellantur velut Demosthenes (decl. 339) et Iphicrates (decl. 386), nomen autem Romanum frustra quaeritur, neque iam suasoriae ullae occurrunt. Aliam proprietatem prae se ferunt declamationes maiores, quae ipsae quoque falso Quintiliani nomine inscriptae ad nos pervenerunt. Hae controversiae similiter atque auctoris ad Herennium declamationes satis accommodatae sunt moribus atque institutis populi Romani neque casu in declamatione tertia nomen Marii appellari existimo. Nec magis in collectione Calpurnii Flacci nomen Graecum ullum appellatur, sed unus Marius (decl. 3); quae declamationes et ipsae inter res Romanas versantur; id quod infra videbimus.

In argumentis historicis rhetoribus semper fere mutationes vel additamenta erant facienda, ut controversia fieret. Eos sine ulla dubitatione ab historiae veritate

discessisse testatur Fortunatianus I 4 (p. 84, 4 H.): „quae est παρ' ἱστορίαν? quando id in controversiis invenimus, quod sit citra historiae fidem ut 'reus est Q. Hortensius, quod in consulatu suo supplicium de indemnatis civibus sumserit', cum sciamus non Hortensium fuisse sed Tullium. Hic modus in persona tantum invenitur? immo in omnibus circumstantiis et in re et in tempore et in loco et in causa et in modo et in materia, si aliquid ex his falsum ponatur et aliter quam in historiis invenimus." Eo magis in argumentis historicis id respiciendum est, utrum rhetores mutaverint ad controversiam fingendam an secuti sint narrationem a memoria integra et pervulgata abhorrentem. Neque enim rhetores narrationes fama incerta traditas contemnebant et in materia indaganda eos rerum scriptores ceteris praeferebant, qui legentes delectabant historiae fabellas et narratiuncalas immiscentes. Rhetores non semper ex sinceris hausisse fontibus apparet ex Sen. contr. VII 2, 8: „Popillium pauci ex historicis tradiderunt interfectorem Ciceronis et hi quoque non parricidi reum a Cicerone defensum, sed in privato iudicio: declamatoribus placuit parricidi reum fuisse." Magni momenti est adnotare rhetores non solum mutationes instituisse, sed etiam nonnumquam rariorem adhibuisse memoriam. Idem docet Sen. suas. 6, 14: „nam quin Cicero nec tam timidus fuerit, ut rogaret Antonium, nec tam stultus, ut exorari posse eum speraret, nemo dubitat excepto Asinio Pollione, qui infestissimus famae Ciceronis permansit. et is etiam occasionem scholasticis alterius suasoriae dedit; solent enim scholastici declamitare: 'deliberat Cicero, an salutem promittente Antonio orationes suas comburat.' haec inepte ficta cuilibet videri potest. Pollio vult illam veram videri; ita enim dixit in ea oratione quam pro Lamia edidit." Non alienum erit in nonnullis controversiis, quarum argumenta ex historia petita sunt, ostendere rhetores cum mutationes fecisse tum narrationes fabulosas adhibuisse.

L. Quinctius Flamininus septem annis postquam consul in Gallia Cisalpina fuerat (a. 192), a Porcio Catone senatorio loco motus est (a. 184). Cato in oratione in Flamininum habita, quam etiam Livius legit,[1]) illum tum' ut puero amato placeret, Boium nobilem transfugam in cena occidisse dixit. Quamquam Plutarchus putat non Gallum transfugam, sed hominem capitis damnatum a Flaminino esse necatum et illud a Catone *εἰς δείνωσιν εἰρῆσθαι τῆς κατηγορίας*,[2]) tamen non intellego, cur de veritate Catonis verborum dubitandum sit. Flamininum, ut puero amato placeret, hominem capitis damnatum interfecisse narrant Cicero[3]) et Plutarchus.[4]) Valerius Antias autem tradidit illum non ut puero amato, sed ut meretrici placeret, hominem capitis damnatum trucidasse, cf. Liv. XXXIX 43, 1: „Valerius Antias, ut qui nec orationem Catonis legisset et fabulae tantum sine auctore editae credidisset, aliud argumentum simile tamen et libidine et crudelitate peragit. Placentiae famosam mulierem, cuius amore deperiret, in convivium accersitam scribit; ibi iactantem sese scorto inter cetera rettulisse, quam acriter quaestiones exercuisset et quam multos capitis damnatos in vinculis haberet, quos securi percussurus esset; tum illam infra eum adcubantem negasse unquam vidisse quemquam securi ferientem et pervelle id videre. Hic indulgentem amatorem unum ex illis miseris adtrahi iussum securi percussisse: facinus, sive eo modo, quo censor obiecit, sive ut Valerius tradit, commissum est, saevum atque atrox." Eandem narrationis formam, quam primus tradidit Valerius Antias et postea apud Valerium Maximum[5]) invenimus, rhetores ad hanc controversiam fingendam adhibuerunt:

---

[1]) Liv. XXXIX 43, 1.

[2]) Plut. Tit. 18.

[3]) Cic. Cat. mai. 42.

[4]) Plut. l. c.; Cat. 17.

[5]) Val. Max. II 9, 3.

„Maiestatis laesae sit actio. Flamininus proconsul inter cenam a meretrice rogatus, quae aiebat se numquam vidisse hominem decollari, unum ex damnatis occidit. accusatur laesae maiestatis," Sen. contr. IX 2.[1]) Videmus rhetores Valerium Antiatem secutos nihil mutasse neque quicquam addidisse nisi accusationem.

Miltiadem proditionis accusatum quinquaginta talentis damnatum esse, Cimonem autem filium post patris mortem multam solvisse auctor est Herodotus.[2]) De veritate huius rei dubitandum non est; sed fabulosae sunt narrationes illae, quae declarant, quomodo Cimon tantam pecuniam sibi comparaverit. Ephorus narravit Cimonem pecuniam solvisse, cum feminam divitem in matrimonium duxerit.[3]) Stesimbrotus autem tradidit eum pecuniam accepisse, cum Elpinicam sororem Calliae homini ditissimo in matrimonium daret;[4]) qua in fabula de Callia, Hipponici filio, cuius divitiae notissimae erant, cogitatum esse constat.[5]) Porro ad Ephorum redit narratio illa, ex qua Cimon etiam carcere alligatus est pro patre.[6]) Elpinicen, Cimonis sororem, cum Polygnoto pictore adulterium egisse Stesim-

---

1) cf. Kohl nr. 387.

2) Herod. VI 132—136.

3) Schol. Aristid. III p. 515, 22 D.: *῎Εφορος δὲ ἐν τῇ πρώτῃ φησὶν ἐκτεῖσαι αὐτὸν τὰ πεντήκοντα τάλαντα γήμαντα γυναῖκα πλουσίαν*; cf. Diod. X 32.

4) Plut. Cimon 4. Nep. Cimon 1, 3.

5) Plut. Arist. 25. Schol. Aristoph. Nub. 65.

6) cf. Busolt, Griech. Gesch. III 1 p. 91, 1: „Aber nur der unzuverlässige und auf Effekt bedachte Ephorus berichtet, daß Kimon, um den Körper des in Haft verstorbenen Vaters zur Bestattung auszulösen, sich selbst in Haft nehmen ließ (Diod. X 20. Iust. II 15, 19. Val. Max. V 3 ext. 3; 4 ext. 2). Plut. Cim. 4, wo Theopomp zu Grunde liegt, weiß nichts von einer Haft Kimons, von der auch Nepos Cim. 1 redet, der die Angabe aber ebenfalls nur aus dem in dieser Vita mitbenützten Ephorus entnommen haben wird."

brotus narravit.[1]) Has res nosse opus est legentibus controversiam: „Adulterum cum adultera qui deprenderit, dum utrumque corpus interficiat, sine fraude sit. Ingrati sit actio. Miltiades peculatus damnatus in carcere alligatus decessit; Cimon filius eius, ut eum sepeliret, vicarium se pro corpore patris dedit. Callias dives sordide natus redemit eum a re publica et pecuniam solvit; filiam ei suam collocavit, quam ille deprensam in adulterio deprecante patre occidit. Ingrati reus est," Sen. contr. IX 1.[2])

Qua ex controversia Miltiades, qui revera damnatus est, quod infectis rebus ab insula Paro redierat, propter peculatum in carcere alligatus est, id quod etiam Iustinus[3]) tradidit. Cum Ephoro controversia eo consentit, quod Cimon, ut patrem sepeliat, vicarium se pro corpore patris dat et feminam divitem in matrimonium ducit. Calliae autem nomen rhetores transtulerunt ex narratione illa, quam praebet Stesimbrotus; neque enim apud Ephorum pater illius mulieris nominatim appellatur. Tum in controversia filia Calliae similibus moribus praedita est, quales Stesimbrotus Elpinicae, Cimonis sorori, ascripsit. Cum in Stesimbroti narratione intellegamus, cur Callias pecuniam solverit, in controversia non apparet, quare Callias, postquam pecuniam solvit, Cimoni filiam in matrimonium det. Invenerunt rhetores Cimonem Calliae filiam in adulterio deprensam occidisse, ut Cimonem ob id factum ingrati accusatum esse fingerent.

Ubi et quando Phidias mortuus sit, inter viros doctos dissensio est.[4]) Quid Philochorus de Phidiae causa et

[1]) Plut. Cim. 4; cf. v. Wilamowitz, Hermes XII 1877 p. 339 n. 23. Kirchner, Prosop. Att. nr. 4678.

[2]) cf. Kohl nr. 52.

[3]) Iust. II 15, 19.

[4]) Viri docti, qui de Phidiae causa et morte scripserunt, enumerantur apud Frickenhaus, Jahrb. d. Arch. Inst. XXVIII 1913 p. 341, 1; 346, 1; papyrum Genavensem non ad Phidiam pertinere ostendit C. Robert, S. Ber. Akad. Berlin 1914 p. 806 sqq.

morte tradiderit, cognoscimus ex Schol. Aristoph. Pac. 605: *Φιλόχορος ἐπὶ Θεοδώρου ἄρχοντος ταῦτά φησιν· Καὶ τὸ ἄγαλμα τὸ χρυσοῦν τῆς Ἀθηνᾶς ἐστάθη εἰς τὸν νεὼν τὸν μέγαν, ἔχον χρυσίου σταθμὸν ταλάντων μδ', Περικλέους ἐπιστατοῦντος, Φειδίου δὲ ποιήσαντος. Καὶ Φειδίας ὁ ποιήσας δόξας παραλογίζεσθαι τὸν ἐλέφαντα τὸν εἰς τὰς φολίδας ἐκρίθη. Καὶ φυγὼν εἰς Ἦλιν ἐργολαβῆσαι τὸ ἄγαλμα τοῦ Διὸς τοῦ ἐν Ὀλυμπίᾳ λέγεται, τοῦτο δὲ ἐξεργασάμενος ἀποθανεῖν ὑπὸ Ἠλείων ἐπὶ Πυθοδώρου, ὅς ἐστιν ἀπὸ τούτου ἕβδομος...* Quo ex loco apparet Phidiam anno 438/7 (*ἐπὶ Θεοδώρου ἄρχοντος*) Athenis accusatum esse, quod ebur subduxisset. Cum Philochorus narret Phidiam accusatum Athenis fugisse et postea per Eleos necatum esse, legimus apud Plutarchum in vita Periclis[1]) Phidiam anno 432 Athenis in carcere morbo esse sublatum. Memoria, ex qua Phidias anno 432 mortuus est, incerta est; nam summa suspicio est scriptores, qui ipsi nesciebant, quando Phidias mortuus esset, eo, quod Aristophanes in Pace[2]) causam Phidiae cum initio belli Peloponnesiaci (431) coniunxit, commotos esse, ut dicerent Phidiam anno 432 esse mortuum. Aristophanes illo loco has causas belli Peloponnesiaci affert:

πρῶτα μὲν γὰρ αὐτῆς ἦρξεν Φειδίας πράξας κακῶς[3]),
εἶτα Περικλέης φοβηθεὶς μὴ μετάσχοι τῆς τύχης,
τὰς φύσεις ὑμῶν δεδοικὼς καὶ τὸν αὐτοδὰξ τρόπον,
πρὶν παθεῖν τι δεινὸν αὐτὸς ἐξέφλεξε τὴν πόλιν·
ἐμβαλὼν σπινθῆρα μικρὸν Μεγαρικοῦ ψηφίσματος
ἐξεφύσησεν τοσοῦτον πόλεμον ὥστε τῷ καπνῷ
πάντας Ἕλληνας δακρῦσαι, τούς τ' ἐκεῖ τούς τ' ἐνθάδε.

Recte mihi videtur iam Sauppe[4]) vidisse Ephorum primum

---

[1]) Plut. Pericl. 31.

[2]) Aristoph. Pac. 605 sqq.

[3]) Hoc in versu vitium metricum est, quod iam apud Ephorum fuisse ex Diod. XII 40, 6 apparet; sed Aristodemus praebet *ἦρξατ' αὐτῆς*.

[4]) Nachr. d. Gött. Ges. d. Wiss. 1867 p. 173 sqq.

Aristophanem falso interpretatum causam Phidiae in anno 432 collocasse. Ephorum secutus est Diodorus,[1]) apud quem Ephorus auctor nominatur XII 41, 1: *Αἰτίαι μὲν οὖν τοῦ Πελοποννησιακοῦ πολέμου τοιαῦταί τινες ὑπῆρξαν, ὡς Ἔφορος ἀνέγραψε.* Tum Ephorus in usum vocatus est ab Aristodemo[2]) et partim a Plutarcho, apud quem de illo Aristophanis loco monemur legentes in vita Periclis c. 32: *ὡς δὲ διὰ Φειδίου προσέπταισε τῷ δήμῳ, φοβηθεὶς τὸ δικαστήριον μέλλοντα τὸν πόλεμον καὶ ὑποτυφόμενον ἐξέκαυσεν.* Sed Ephorus parum respexit, quod Aristophanes ipse paulo post[3]) dicit:

ταῦτα τοίνυν μὰ τὸν Ἀπόλλω 'γὼ πεπύσμην οὐδενός,
οὐδ' ὅπως αὐτῇ προσήκοι Φειδίας ἠκηκόειν.
οὐδ' ἔγωγε, πλήν γε νυνί.

Inde cognoscimus Aristophanis esse inventionem, quod causam Phidiae inter causas belli Peloponnesiaci numeraverit. Sed non dubito, quin scholiastes recte adnotaverit revera septem annis ante causam Phidiae fuisse; neque verum esse puto scholiasten, qui ostendere vult causam Phidiae et initium belli Peloponnesiaci magno temporis spatio distare, Philochorum falso intellexisse, id quod opinatur A. Frickenhaus.[4]) Itaque quae de altera Phidiae accusatione Atheniensi, postquam ab Eleis rediit, narrantur, credere non possum. Verisimile esse existimo Phidiam iam anno 438/7 Athenis esse mortuum eam sententiam secutus, quam primus protulit Löschcke[5]) gravissimis nisus argumentis.

Iam videamus, quid tradiderit Philochorus: *Καὶ φυγὼν εἰς Ἦλιν ἐργολαβῆσαι τὸ ἄγαλμα τοῦ Διὸς τοῦ ἐν Ὀλυμπίᾳ λέγεται, τοῦτο δὲ ἐξεργασάμενος ἀποθανεῖν ὑπὸ Ἠλείων.* Quin Phidias Eleis Iovem Olympium fecerit, cum eius animo

---

1) Diod. XII 39—41.
2) FHG V p. 17—19.
3) Aristoph. Pac. 615.
4) l. c. p. 341 sqq.
5) Histor. Unters. f. A. Schäfer 1882 p. 25 sqq.

obversarentur Iliadis versus I 528—30,[1]) dubitandum non est. Quaestio autem est, quando illam statuam fecerit. Löschcke putat eum statuam illam, iam antequam Athenis causam habuerit, fecisse; quam ad opinionem fulciendam etiam illud aliquid affert, quod Plinius[2]) dicit Phidiam floruisse Ol. 83 (448/5), unde verisimile est iam tum Iovis statuam fuisse perfectam. Etiam ex iis Pausaniae locis,[3]) quibus de Pantarce, quem Phidias amasse narratur, et de eius statua loquitur, colligi non potest Phidiam Ol. 86 (436/33) apud Eleos fuisse. Recte dicit C. Robert:[4]) „Für den Aufenthalt des Pheidias in Elis nach seinem attischen Prozeß gibt es, nachdem die Pantarkesstatue ihre Beweiskraft verloren, keinen genügenden Anhalt mehr.“ Probare non possum R. Schöllii[5]) interpretationem verbi *λέγεται*; sed existimo Philochorum, religiosum rerum scriptorem, hoc verbo incertam narrationem afferre voluisse. Ea ipsa re, quod rhetores in declamationibus hanc Philochori narrationem secuti sunt, haec mihi non credibilior fit, cum supra viderimus, quales narrationes rhetores ad declamationes adhibere soliti sint. Apud Anonym. Rh. Gr. I² p. 390, 25 Sp.-H. haec in Eleos accusatio fingitur: *Φειδίας νοσφισάμενος ἐκ τοῦ Ὀλυμπίου χρυσίου, βασανιζόμενος καὶ τεθνηκώς.* Verum est Phidiam Athenis, cum Minervae statuam fecisset, accusatum esse, quod ebur surripuisset; rhetores autem Philochori memoriam secuti ad Eleos transtulerunt, quod factum est apud Athenienses, et ad Iovis statuam, quod factum est Minervae statua perfecta. Eadem ad Eleos translatio occurrit apud Sen. contr. VIII 2: „Sacrilego manus praecidantur. Elii ab Atheniensibus Phidian acceperunt, ut his Iovem Olympium faceret, pacto

---

1) Val. Max. III 7 ext. 4.

2) Plin. n. h. XXXIV 39.

3) Paus. VI 4, 3; 10, 6; V 11, 2.

4) Hermes XXIII 1888 p. 452.

5) S. Ber. bayr. Akad. 1888 p. 18 sqq.

interposito ut aut Phidian aut centum talenta redderent. Perfecto Iove Elii Phidian aurum rapuisse dixerunt et manus tamquam sacrilego praeciderunt, truncatum Atheniensibus reddunt. petunt Athenienses centum talenta. contradicunt.“ [1])

Hac in controversia, quae est amplificatio illius accusationis, rhetores addiderunt pactum inter Eleos et Athenienses interpositum. Tum haec controversia eo differt, quod Phidias non necatur, sed mutilatur ab Eleis ut sacrilegus; qua in fictione rhetores memores erant similium narrationum, velut legimus de sculptore nefario, qui aurum et argentum rapuerat, apud Aelianum frg. 62 (II 214 H.): *ὁ δὲ χρόνῳ ὕστερον ἐφωράθη τῷ πάντα ἐκκαλύπτοντι καὶ ἀπαληθεύοντι. ὑπὲρ τοῦ κέρδους ὁ κακοδαίμων τὴν πήρωσιν ἀλλαξάμενος. καὶ ἦν παράδειγμα καὶ παίδευμα πᾶσιν, ὥστε μὴ τολμᾶν μηδὲ κερδαίνειν παραπλήσια.* Cum autem artifex manibus orbatus quasi mortuus sit, fingitur Athenienses ex pacto centum petisse talenta, quae Eleos solvere nolle consentaneum est.

L. Caecilius Metellus anno a. Chr. n. 241, cum esset pontifex maximus, e templo Vestae flagrante Palladium eripuit, quam ob rem magni honores ei tributi sunt. [2]) Augusti fere aetate rhetores hoc Metelli factum adhibuerunt ad hanc controversiam fingendam: „Sacerdos integer sit. Metellus pontifex, cum arderet Vestae templum, dum Palladium rapit, oculos perdidit. sacerdotium illi negatur,“ Sen. contr. IV 2.[3]) Invenerunt rhetores ne Metello quidem pontifici maximo sacra Vestae videre licuisse, qua de causa eum ex iure talionis oculos perdidisse finxerunt; tum addiderunt causam, ex qua illi sacerdotium negatur. Notabile est rhetorum inventiones paulo post pro veris esse

---

[1]) cf. Kohl nr. 189. 190.

[2]) Dionys. II 66.

[3]) Sequor O Leuze, qui copiose et splendide de Metello caecato egit (Philol. N. F. VIII 1905 p. 104 sqq.).

habitas. Metellum iniuriam fecisse, cum Vestae templum intraret, credunt Ovidius[1]) et Lucanus;[2]) eum oculos amisisse ut rem veram tradiderunt Seneca philosophus,[3]) Plinius,[4]) Iuvenalis,[5]) Ampelius,[6]) auctor parallelorum minorum,[7]) qui Aristidem Milesium auctorem citans addit Metellum postea oculos recuperasse.

Inter eas controversias, in quibus certa nomina indicantur, postremo loco affero controversiam, de qua Kohl[8]) mihi non recte indicasse videtur: „Qui hosti opem tulerit, capite puniatur. Alexander bello Athenas cum premeret, templum extra muros incendit. pestilentia laborare coepit. responsum est non posse finiri nisi templum restitu-

---

1) Ovid. fast. VI 431.

2) Luc. Phars. IX 993; I 597.

3) Sen. dial. I 5, 2.

4) Plin. n. h. VII 141.

5) Iuv. sat. VI 265.

6) Amp. 20, 11.

7) Ps. Plut. par. min. 17; cf. Schol. Iuv. III 138. Auctor parallelorum minorum et libri, qui est de fluviis, sive ipse falsarius fuit sive scriptorum remotorum excerptor (cf. Hercher, praef. edit. libri, qui est de fluviis; Rohde, griech. Roman [3] p. 44, 8), arto vinculo cum schola rhetorica conexus est, qua in officina cum alia tum novas fabulas excogitatas esse constat (cf. Hausrath, Neue Jahrb. XXXIII 1914 p. 452. Hermog. *περὶ ἰδεῶν* p. 407, 15 R.). Has congruentias, quae sunt inter fabulas auctoris illius et declamationum argumenta adnotem: argumentum matris in adulterio deprensae (Ps. Plut. de fluv. 5, 1) in usum vocatur apud Calp. Fl. 31; argumentum, quo gladius ab alio sumitur, ut ad hunc caedis suspicio derivetur (Ps. Plut. par. min. 33), invenimus in Ps. Quint. decl. mai. 1; filia hostem amans et e vinculis liberans (par. min. 23 a) occurrit in Sen. contr. I 6 (cf. I 6, 2); mirae conservationis argumentum, qua puellae de muro se praecipitanti nihil mali accidit (par. min. 13), adhibetur in Sen. contr. I 3.

8) Kohl nr. 336.

isset. Restituto templo Atheniensis sacerdos Alexandro pollicente discessurum se ab armis si dedicaret, dedicavit. discessit ab obsidione Athenarum Alexander. dicitur sacerdos hosti opem tulisse," Ps. Quint. d. 323.

Huic argumento „thesin" subesse Kohl putat mire quidem fictam comparans Sopatrum VIII 317, 11 W.: *πεπηρωμένῳ τινὶ ἔχρησεν ὁ θεὸς ἀναβλέπειν, εἰ ὁ παῖς αὑτὸν ὑπὲρ αὐτοῦ ἐπιδοίη. πυθόμενος ὁ παῖς ἀνῄρηκεν ἑαυτόν. ἀνέβλεψεν ὁ πατὴρ καὶ μετὰ ταῦτα ἑαυτὸν προσαγγέλλει.* Iniuria putat Kohl controversias nominibus carentes, quas falso theses vocat, magni momenti fuisse ad fingendas eas controversias, in quibus indicantur nomina; cogitatio enim hominum saepius a rebus singularibus ad communes transit quam contra a rebus communibus ad singulares; sed id infra clarius videbimus. Sane rhetores in hac controversia, quam a rhetoribus Graecis fictam esse verisimile est, non cogitaverunt de Alexandro Magno, qui Athenas numquam oppugnavit. Sed Philippus, Demetrii filius, cum Romani anno fere 200 bellum ei indixissent, frustra Athenas oppugnavit et loca, quae circa urbem erant, vastavit neque templis deorum pepercit.[1]) Cur autem rhetores Alexandrum appellant pro Philippo? Suspicor eos in animo habuisse Alexandrum, Amyntae filium, qui annis 498—454 rex Macedonum erat, quem Herodotus[2]) narrat legatum Mardonii Athenas venisse et Atheniensibus pacis condiciones proposuisse, ex quibus Xerxes, si Athenienses condiciones acciperent, volebat Mardonium omnia templa restituere, quae ipse incendisset. In sacerdote, qui templum restitutum dedicavit, rhetoribus fortasse obversatus est Lycidas, qui unus condiciones Mardonii probavit, sed ut proditor, qui pecuniam a Mardonio accepisset, cum uxore liberisque

---

[1]) Liv. XXXI 24, 18; 26, 10—13. Diod. exc. de virt. et vit. 238 (28, 7) p. 271 Büttner-Wobst.

[2]) Herod. VIII 140.

lapidibus obrutus est, id quod anno 479 factum est.[1]) Cetera sunt rhetorum additamenta; invenerunt ob templum incensum pestilentiam in exercitu esse ortam, id argumentum ex similibus narrationibus transferentes, velut Sanherib, rex Assyriorum, Hierosolyma oppugnans pestilentia orta exercitum abducere coactus est;[2]) neque minus adiecerunt oraculi responsum. Controversia in eo posita est, quod dubium est, utrum sacerdos patriae an hostibus plus opis tulerit.

Supra vidimus iam apud auctorem ad Herennium et apud Ciceronem argumenta historica ad argumenta infinita nominibus omissis esse traducta. Mos nomina omittendi a declamatoribus, qui erant imperatorum aetate, receptus est et etiam ad rhetores Graecos, qui rarius nomina omittebant, penetravit. Ostendere possumus in compluribus controversiis nomina initio indicata postea omissa esse. Quin etiam habemus controversiam, quae nominibus omissis falso intellecta sit.

Aetate belli Peloponnesiaci (anno 425), cum Athenienses, qui Pylum occupatam tenebant, in summo rerum

---

1) Herod. IX 5; similia narrantur de Cyrsilo Atheniensi, qui paulo ante anno 480 civibus suasisse dicitur, ut Xerxi se dederent; cf. Demosth. de cor. § 204. Cic. de off. III 48. Puto hanc esse eandem narrationem, cuius veram formam habet Herodotus.

2) II Reg. 18. 19; II Chron. 32. Inter rhetores Graecos Romanae aetatis, libertini plerumque ordinis homines, fuisse, qui superstitioni Iudaicae addicti essent, et per se probabile est et Caecilii Calactini exemplo probatur (cf. Bergk, Griech. Lit. Gesch. IV 553 n. 52); unde apertum fit, quomodo occasionem controversiae, quae est apud Sen. contr. VI 3, in qua patre mortuo frater maior natu patrimonium dividit et fratri ex ancilla nato eligendum est, narratio ex Testamento Vetere nota dare potuerit, qua Sarah Abraham maritum admonuit, ut Ismael filium ex Hagar ancilla natum una cum matre expelleret, ne cum Isaac suo filio heres fieret (Gen. 16; 21, 10).

discrimine essent, Cleon imperator creatus promisit se intra viginti dies Lacedaemonios inclusos sive vivos sive mortuos in potestatem suam redacturum esse;[1]) et praeter exspectationem accidit, quod Cleon edixerat; nam consilium, quod Demosthenes, Cleonis socius, ceperat, prospere successit; cum ducentis nonaginta duobus captivis, qui supererant ex quadringentis viginti Lacedaemoniis, Cleon triumphans Athenas rediit.[2]) Hanc rem rhetores Graeci ad declamationes adhibuerunt; quae ut controversia fieret, invenerunt Niciam Cleoni redeunti portas non aperuisse: *Νύκτωρ μὴ ἀνοίγεσθαι τὰς πύλας. οὐκ ἀνέῳξε Κλέωνι ὁ Νικίας εἴσω τῆς προθεσμίας ἄγοντι τοὺς τριακοσίους, καὶ δικάζεται αὐτῷ ὕβρεως,* Apsin. 242, 9 H. Similiter ficta est haec controversia: *Νόμος μὴ ἀνοίγειν νύκτωρ τὰς πύλας τῆς πόλεως. Κλέωνος ἐπανάγοντος ἐκ Σφακτηρίας Νικίας οὐκ ἤνοιξε καὶ κρίνει αὐτὸν βλάβης,* Sopat. IV 246, 9 W. Tum controversia eo amplificata est, quod rhetores finxerunt Lacedaemonios captivos Nicia portas non aperiente effugisse: *Νόμος νύκτωρ μὴ ἀνοίγειν τὰς πύλας. Κλέωνος ἄγοντος τοὺς τριακοσίους Νικίας οὐκ ἤνοιξεν. ἀπέδρασαν αὐτὸν καὶ κρίνεται [αὐτὸν] βλάβης,* Sopat. V 98, 31 W. Alia autem in amplificatione additur captivos, cum Nicias portas non aperiret, ab hostibus advenientibus occisos esse: *Νόμος Ἀθήνησιν νύκτωρ μὴ ἀνοίγεσθαι τὰς πύλας. Κλέωνος ἀγαγόντος τοὺς ἀπὸ Σφακτηρίας νύκτωρ, Νικίας ἐφεστὼς τῷ τείχει οὐκ ἠνέῳξεν, ἐπελθόντες οἱ πολέμιοι ἀπέκτειναν αὐτούς, καὶ κρίνεται Νικίας δημοσίων ἀδικημάτων,* Syrian. II 146, 2 R. Cum in hac controversia nomina omitterentur, facile falso intellecta est. Cum captivi, qui non intromittebantur, ab hostibus persequentibus occiderentur, opinio falsa orta est eos, qui ob portas non apertas ab hostibus trucidati essent, fuisse milites urbanos id est Athenienses, qui ab hostibus capti effugissent. Hic error primum occurrit apud Sen. contr. V 7, quae contro-

---

[1]) Thuc. IV 28, 4.

[2]) Thuc. IV 38, 5; 39, 3. Diod. XII 63, 4.

versia originem suam indicat addito numero trecentorum captivorum: „Nocte in bello portas aperire ne liceat. Imperator in bello summam habeat potestatem. Trecenti ab hoste captivi ad portas nocte venerunt, imperator non aperuit; ante portas occisi sunt; imperator post victoriam reus est laesae rei publicae.“ Tum in controversia Graeca, in qua numerus captivorum omissus est, eundem errorem invenimus: *Νόμος ἦν ὁ κωλύων στρατηγὸν μὴ ἀνοίγειν νύκτωρ τὰς πύλας. αἰχμάλωτοι ῥήξαντες τὰ δεσμὰ νυκτὸς ἦλθον εἰς τὴν πόλιν ἀξιοῦντες εἰσελθεῖν. ὁ δὲ στρατηγὸς εἴασεν αὐτοὺς ἔξω μὴ ἀνοίξας. προσπεσόντες οἱ πολέμιοι κατέκοψαν αὐτούς, καὶ κρίνεται ὁ στρατηγὸς δημοσίων ἀδικημάτων*, Anonym. VIII 411, 4 W.[1])

Alexandri Pheraei, crudelis illius tyranni, uxor Thebe, Iasonis filia,[2]) fratres suos incitavit, ut Alexandrum interficerent.[3]) Quam rem rhetores ita commutaverunt, ut controversia fieret: „Lex est: qui tyrannum occiderit, olympionicarum praemia capito et quam volet sibi rem a magistratu deposcito et magistratus ei concedito. Et altera lex: tyranno occiso quinque eius proximos cognatione magistratus necato. Alexandrum, qui apud Pheraeos in Thessalia tyrannidem occupaverat, uxor sua, cui Thebe nomen fuit, noctu cum simul cubaret, occidit. Haec filium suum, quem ex tyranno habebat, sibi in praemii loco deposcit,“ Cic. de inv. II 144.[4]) Invenerunt rhetores Alexandrum a Theba uxore ipsa noctu esse interfectum id argumentum ex aliis mutuati fabulis, velut ad famosum exemplum Danai filiarum, quae maritos prima coniugii

---

[1]) cf. Kohl nr. 103 a—105; eius opinionem, ex qua hostes insequentes translati sunt ex „these“, redarguere iam supervacaneum esse puto.

[2]) Plut. Pelop. 28. 35.

[3]) Xen. hell. VI 4, 35. Diod. XVI 14, 1. Conon 50. Val Max. IX 13 ext. 3.

[4]) cf. Kohl nr. 175.

nocte interfecisse narrabantur.[1]) Themisto Philonem, Phricodemi tyranni filium, necavit, qua de re narrat Polyaen. VIII 46. *Θεμιστὼ διὰ τὴν ἀνάγκην ὑποκριναμένη ξίφος εἰσεκόμισεν ὑπὸ τῷ χιτωνίσκῳ καὶ τὸν νυμφίον καθεύδοντα ἐν τῷ θαλάμῳ παρακλίνασα τὸν τράχηλον εὐκόλως ἀπέσφαξεν.* Etiam de filio Alexandri Pheraei apud rerum scriptores nihil legimus. Postea in illa controversia non solum nomina omissa sunt, sed etiam argumentum eo amplificatum est, quod uxor et maritum tyrannum et filium tyrannum factum interficit: „Quinque cum tyranno proximae familiae puniantur. quae habebat duos filios et tyrannum virum, tyrannicidium fecit. praemio impunitatem liberis postulavit. meruit. ex his alter occupavit arcem. et eum mater occidit. petit alteri impunitatem. contradicitur," Calp. Fl. 1.

Quomodo argumenta historica nominibus omissis ad argumenta infinita traducta sint, etiam haec controversia illustrat: „Rhodii quosdam legarunt Athenas, legatis quaestores sumptum, quem oportebat dari, non dederunt; legati profecti non sunt: accusantur," Cic. de inv. II 87.[2]) Verisimile est Ciceronem hanc controversiam totam a Graecis mutuatum esse, neque dubito, quin certa rerum gestarum memoria illam moverit. Postea autem hanc invenimus forman: „Legatus intra XXX. diem naviget: legatus non accepto a quaestore suo viatico non navigavit intra XXX. diem et reus est male gestae legationis," Fortunat. I 15 p. 93, 12 H. Etiam magis contracta controversia est apud Iul. Victorem IV p. 391, 18 H.: „Legatus intra diem tricesimum proficiscatur. Legatus non accepto viatico remansit et reus est." Tum apud rhetores Graecos eadem controversia occurrit nominibus omissis, sed additur, quantum viatici legato accipiendum fuerit; cf. Hermog. p. 39, 11 R.: *μεταστάσεως μὲν παράδειγμα ὁ*

---

[1]) Pind. Nem. 10, 7; Pyth. 9, 117. Schol. Pind. Nem 10, 7. Apd. II 1, 4. Hyg. fab. 168.

[2]) cf. Kohl nr. 355.

πρεσβευτής, ὃν εἴσω τριάκοντα ἡμερῶν δέον ἐξιέναι λαβόντα παρὰ τοῦ ταμίου χιλίας δραχμὰς εἰς ἐφόδιον, μὴ λαβὼν καὶ διὰ τοῦτο μὴ ἐξελθών, εἶτα κρινόμενος. Alia in controversia omittitur, intra quotum diem legato proficiscendum fuerit: *Νόμος τὸν πρεσβευτὴν λαβόντα παρὰ τοῦ ταμίου χιλίας δραχμὰς εἰς ἐφόδιον ἐξιέναι. πρεσβευτής τις χειροτονηθεὶς καὶ μὴ λαβὼν παρὰ τοῦ ταμίου τὰ χρήματα οὐκ ἐξῆλθε καὶ ὑπάγεται τῷ νόμῳ.* Syrian. II 146, 18 R. Difficile est dictu, utrum rhetores Romani an Graeci priores nomina omiserint; fieri potest, ut utrique nomina omiserint neutri ab alteris pendentes.

Sed non semper nominibus solis omissis nova facta est controversia; interdum praeterea mutationes erant faciendae, id quod haec controversia docet: *Ἐπὶ τῶν τριάκοντα τυράννων ἐξετίθεσαν Ἀθηναῖοι τὰ γένη, Μεγαρεῖς ἀναιρούμενοι ἔτρεφον· παυσαμένης τῆς τυραννίδος ἥκουσιν ἀποδιδόντες τὰ γένη, καὶ γράφει τις τὸ κατὰ Μεγαρέων ἀνηρῆσθαι πινάκιον.* Hermog. 98, 7 R.[1]) Apud Romanos autem hanc invenimus formam: „Civitas in tyrannide omne quod liberorum natum fuerat, exposuit; vicina civitas collegit et educavit. finita tyrannide petunt patres filios et offerunt alimenta. illi contradicunt,“ Sulp. Victor, inst. orat. 48 p. 343, 10 H. Videmus rhetores Romanorum nominibus omissis finem controversiae mutare coactos esse.

Similiter res se habet in hac controversia: *Αἰσχίνης μετὰ τὰ ἐν Χαιρωνείᾳ ἕπεται Δημοσθένει δακρύοντι καὶ κρίνεται ὑπ᾽ αὐτοῦ ὕβρεως,* Syrian. II 130, 9 R.[2] Rhetores Romanorum eo novam finxerunt controversiam, quod condicionem illam temporum ad vitam familiarem transtulerunt: „Flens pater per publicum filium luxuriosum sequebatur. dementiae reus est,“ Ps. Quint. d. 316.

Etiam in argumentis ex historia fabulari haustis nomina paulatim omittebantur, id quod hoc exemplo illustretur: „Aiax in silva postquam resciit, quae fecisset per

[1]) cf. Kohl nr. 86.

[2]) cf. Kohl nr. 294.

insaniam, gladio incubuit. Ulixes intervenit. occisum conspicatur. corpore telum cruentum educit. Teucer intervenit, fratrem occisum, inimicum fratris cum gladio cruento videt: capitis arcessit," Auct. ad Her. I 18.[1]) Quod argumentum rhetores ex tragoedia aliqua hausisse testatur Quint. inst. orat. IV 2, 13: „ut in tragoediis, cum Teucer Ulixem reum facit Aiacis occisi, dicens inventum eum in solitudine iuxta exanime corpus inimici cum gladio cruento . . ." Sed difficile est dictu, quae tragoedia hanc fabulae formam exhibuerit. Welcker[2]) suspicatur fortasse Nicomachi Teucrum hanc habuisse fabulam; certe neque Accius neque Pacuvius id argumentum adhibuisse videntur[3]); nec magis Sophocles in Teucro. Postea autem controversia illa nominibus omissis ita contracta est: „Inventus est iuxta cadaver recens hominis occisi gladium cruentum tenens, reus est caedis," Fortunat. I 8 p. 87, 5 H.; formam etiam breviorem invenimus apud Fortunat. I 6 p. 85, 14 H.: „Inventus est iuxta cadaver recens hominis occisi: fit reus caedis."

Vidimus in iis controversiis, quae carent nominibus, primum id quaerendum esse, nonne controversia derivanda sit ex alia, in qua nomina indicata erant. Altera quaestio est, num controversia spectet ad certam personam vel rem ex historia notam. Concedendum est haud saepe nos clare demonstrare posse, quae res rhetoribus obversata sit; semper fere probabilitate quadam nos contentos esse oportet. Controversiae, quae iam afferuntur, ita dispositae sunt, ut eae, quae spectant ad rerum memoriam, priore loco tractentur, posteriore eae, quarum argumentum ex historia fabulari petitum est; praeterea eae declamationes, in quibus satis est certum, quid rhetores in animo habuerint, antecedunt eas, quae minus certis rationibus explicari possunt.

1) cf. Kohl nr. 15.

2) Gr. Trag. III 1013 sq.

3) Ribbeck, Röm. Trag. p. 374.

Aetate Ptolemaei Lagi erat Hegesias philosophus Cyrenaicus, qui praeerat scholae Cyrenaicae post Paraebatem et ante Annicerim. Ei cognomen erat *Πεισιθάνατος*, quod in dialogo, qui inscribebatur *Ἀποκαρτερῶν*, mortem voluntariam commendaverat; desperabat enim de felicitate adipiscenda et omni sensu carere optimum esse putabat. Is Alexandria expulsus est, quod multi, qui eum audiverant, sibi ipsi mortem consciverant.[1]) De hoc viro cogitaverunt rhetores, cum fingerent: „Philosophus disputavit in contione de bono mortis; cuncti, qui eum audierunt, laqueo vitam finierunt: domini eorum accusant philosophum damni inlati," Fortunat. I 14 p. 92, 26 H.[2])

Iulia, Caesaris filia, nupta erat Pompeio. Quae cum iam anno a. Chr. n. 54 mortua esset ante bellum civile inter Pompeium et Caesarem ortum, non venit in discrimen eligendi, utrum fidem coniugalem an patris amorem pluris aestimaret. Rhetores autem quaerentes, quomodo putanda esset Iulia se gestura fuisse et quomodo Caesar Pompeio victo et interfecto eam recepturus, hanc finxerunt controversiam: „Dementiae sit actio. Bello civili quaedam virum secuta est, cum in diversa parte haberet patrem et fratrem Victis partibus suis et occiso marito venit ad patrem, non recepta in domum dixit: quemadmodum tibi vis satisfaciam? Ille respondit: morere. suspendit se ante ianuam eius: accusatur pater a filio dementiae," Sen. contr. X 3. Videmus rhetores Caesari partes patris nimis severi dedisse, qui ne suis quidem liberis parcit, cuius severitatis historia Romana rhetoribus satis multa exempla suppeditabat. Affero exemplum T. Manlii Torquati, qui consul erat anno

[1]) Diog. Laert. II 86. 93 sqq. Cic. Tusc. I 83.

[2]) Liceat hoc loco affere Callimachi epigramma XXV. cui cognatum subest argumentum:

Εἴπας Ἥλιε χαῖρε' Κλεόμβροτος ὡμβρακιώτης
ἥλατ' ἀφ' ὑψηλοῦ τείχεος εἰς Ἀίδην,
ἄξιον οὐδὲν ἰδὼν θανάτου κακόν, ἢ τὸ Πλάτωνος
ἕν, τὸ περὶ ψυχῆς γράμμ' ἀναλεξάμενος.

a. Chr. n. 165. Cum filius eius, quem in adoptionem D. Silano emancipaverat, anno 141 a Macedonum legatis in senatu accusaretur, quod praetor in Macedonia pecuniam accepisset, a senatu petivit, ut sibi primo quaestio daretur. Hoc concesso pater de filio ita pronuntiavit „'Cum Silanum filium meum pecunias a sociis accepisse probatum mihi sit, et re publica eum et domo mea indignum iudico protinusque e conspectu meo abire iubeo.' Tam tristi patris sententia perculsus Silanus lucem ulterius intueri non sustinuit suspendioque se proxima nocte consumpsit.“ [1]) Quod in controversia filia non recepta ante ianuam se suspendit, id argumentum translatum est ex fabulis amatoriis, in quibus saepius accidit, ut qui repudiatus est se suspendat ante ipsam auctoris ianuam. [2]) Personam fratris rhetores addiderunt, ut aliquis esset, qui patrem propter nimiam severitatem dementiae accusaret.

De Bryante Argivo narrat Paus. II 20, 2: *ἡγεμὼν δὲ ἐνέτακτο ἐπ' αὐτοῖς Βρύας Ἀργεῖος, ὃς ἄλλα τε ἐς ἄνδρας ὕβρισε τοῦ δήμου καὶ παρθένον κομιζομένην παρὰ τὸν νυμφίον ᾔσχυνεν ἀφελόμενος τοὺς ἄγοντας. ἐπιλαβούσης δὲ τῆς νυκτὸς τυφλοῖ τὸν Βρύαντα ἡ παῖς φυλάξασα ὑπνωμένον. φωραθεῖσα δὲ ὡς ἐπέσχεν ἡμέρα, κατέφυγεν ἱκέτις ἐς τὸν δῆμον.* Haec res, quae gesta esse fertur anno fere 417, huius controversiae occasionem dedisse videtur: „Talionis sit actio. raptarum lex. Quidam rapuit et in raptu a puella excaecatus est, producta ad magistratus mortem optavit, raptor exigit talionem,“ Calp. Fl. 43.

Summae apud Romanos felicitatis exemplum Q. Metellus Macedonicus, qui anno a. Chr. n. 148 praetor Macedoniae provinciae erat, memoratur a Valerio Maximo primo loco in ea operis parte, quae est de felicitate. [3])

---

[1]) Val. Max. V 8, 3; cf. Cic. de fin. I 24. Liv. per. 54.

[2]) Ovid met. XIV 699 (Iphis). Conon 24 (Aminias). Theocr. 23, 50.

[3]) Val. Max. VII 1, 1.

Qui non solum ipse summis honoribus functus est, sed etiam quattuor habebat filios, qui patre vivo ad summos honores ascenderunt, et duas filias, quarum subolem sinu suo excepit.[1]) Hunc Metellum puto rhetores exemplar sibi proposuisse, cum haec fingerent: „Ter triumphalis ter consularis cum haberet liberos aeque ter triumphales ter consulares, suspendit se. liberatus a liberis ab iisdem reus fit dementiae," Calp. Fl. 8. Videmus, quantopere rhetores rerum memoriam ad sententiam communem hominis nimis felicis declinare studuerint. Illi Metello non in mentem venit se propter felicitatem suspendere; quod in comoedia et in narrationibus homini nimis felici magis minusve iocose suadetur,[2]) id patrem felicem revera fecisse rhetores fingunt; profecto dignus erat, qui dementiae accusaretur; sed ut id fieri posset, eum ex ipso suspendio a liberis servari opus erat.

Athenis cum Phrynicho insidiis iam interfecto perduellionis quaestio institueretur, hoc antea cautum esse traditur, ut, qui patrocinium eius sustinuissent, iisdem *προδοσίας* poenis obnoxii fierent, quibus ipse reus, si eum sontem comperissent iudices.[3]) Hac lege usi rhetores finxerunt: „Cum damnato proditionis patronus exulet. Adfuit <quidam> reo proditionis. absolutus est ille. peti<i>t ab absoluto pecuniam, quam pactus erat; non dantem detulit reum proditionis. damnavit. petitur in exilium," Ps. Quint. d. 334.

[1]) Cic. de fin. V 82. 88; Brut. 81. 212; Phil. 8, 14; Tusc. I 85. Vell. Pat. I 11. Plin n. h. VII 44. 5[illegible]. Plut. de fort. Rom. 4; falso Metello tres filiae dantur apud Cic. de fin. V 82. Val. Max. VII 1, 1.

[2]) cf. Plaut. Poen. 309: „AGOR. abi dómum ac suspende te MIL. Quamobrem? AGOR. quia iam numquam audibis verba tot tam suavia." Terent. Eun. 551. Cic. Tusc. I 111.

[3]) Lyc. Leocr. 144; cf. Sprenger, quaestiones in rhetorum Romanorum declamationes iuridicae 1911 p. 235.

Apud Valerium Maximum (V 4 ext. 3) de duobus filiis fortibus hoc narratur: „Vos quoque, fratres, memoria conplectar, quorum animus origine fuit nobilior, siquidem admodum humiles in Hispania nati pro parentium alimentis spiritum erogando specioso exitu vitae inclaruistis: XII enim milia nummum, quae post mortem vestram his darentur, a Paciaecis pacti, ut eorum patris interfectorem Etpastum gentis suae tyrannum occideretis, nec ausi solum insigne facinus estis, sed etiam strenuo ac forti exitu clausistis." Idem argumentum, quo tyrannicida conducitur in hac controversia invenimus: „Tyrannicida optet, quod volet. Dives adulescenti pauperi dedit pecuniam, ut tyrannum occideret: [et] occidit. de praemio ambigunt," Ps. Quint. d. 345, cf. d. 382: „Cuius opera tyrannus occisus fuerit, praemium petat. Dives senex adulescentem robustum in tyrannicidium pecunia data conduxit. occidit adulescens tyrannum. certant de praemio."

Cicero consul bene de re publica meritus est coniuratione Catilinaria oppressa. Nonis Decembribus anni a. Chr. n. 63 coniurati supplicio in senatu decreto ante noctem in Tulliano iugulati sunt.[1]) Postea autem Cicero ob id facinus in exilium missus est ea lege, quam Clodius tribunus plebis tulerat: ut qui civem Romanum indemnatum interemisset, ei aqua et igni interdiceretur. Quae res gestae minus clare interlucent in hac controversia: „Imperator in bello summam habeat potestatem. Imperator proditionis suspectos in carcerem coniecit. ex transfuga comperit eadem nocte finitum iri proditionem. incendit carcerem. perierunt illi, qui erant in carcere. hostes recesserunt. accusatur, quod de indemnatis sumpserit supplicium," Ps. Quint. d. 348. Cognoscimus rhetores aliam rerum condicionem adhibuisse, cum in controversia non coniurati, per quos rei publicae periculum instat, sed proditionis suspecti indemnati interficiantur. Quod imperator carcerem

[1]) Sall. Cat. 55, 5.

incendit, ad hanc fictionem rhetores fortasse eo commoti sunt, quod inter Catilinae consilia etiam urbis incendium erat.[1])

Bello civili inter Pompeium et Caesarem orto L. Domitius Ahenobarbus, qui fuerat consul anno a. Chr. n. 54, exercitum Corfinii collegit, sed Caesaris interventu prohibitus cum Pompeio se coniungere,[2]) dum copiae cum Caesare de deditione agunt, victoris crudelitatem veritus imperavit medico eidemque servo suo, ut sibi venenum daret; sed audita Caesaris clementia cum paeniteret eum venenum hausisse, medico fatente se dedisse innoxium medicamentum bibendum adeo gavisus est, ut illum libertate donaret.[3]) Argumentum, quo dominus sui interficiendi causa venenum a servo petit, occurrit in hac controversia: „Aeger dominus petit a servo, ut sibi venenum daret; non dedit; cavit testamento, ut ab heredibus crucifigeretur; appellat servus tribunos," Sen. contr. III 9; cf. Ps. Quint. d. 380. Verisimile est rhetores illam narrationem in animo habuisse et memoriam illam ad vitam familiarem transtulisse; sane hilaris ille exitus controversiae non conveniebat.

L. Licinius Crassus admodum adulescens cum accusaret C. Papirium Carbonem, qui optimatibus ut Tiberii Gracchi socius invisus erat, summam adversus Carbonem ostendit iustitiam; nam „scrinium a servo adlatum ad se, complura continens, quibus facile opprimi posset, ut erat signatum, cum servo catenato ad eum remisit."[4]) Rhetores quaerentes, nonne aliquando liceret furtum facere, hanc finxerunt controversiam: „Fur contione prohibeatur. Qui-

---

1) Sall. Cat. 27, 2.

2) Caes. b. c. I 19, 1—22, 6.

3) Plut. Caes. 34, 3; cf. Sen. de benef. III 24, 1. Plin. n. h. VII 186. Suet. Nero 2.

4) Val. Max. VI 5, 6; cf. Cic. de off. II 47. 49; de orat. I 39. II 170. III 74; Brut. 159. Val. Max III 7, 6.

dam cum divitem proditionis postulasset, noctu parietem eius perfodit et scrinium, in quo erant missae ab hostibus epistulae, sustulit. damnatus est dives. accusator contionari cum vellet, a magistratu prohibitus agit iniuriarum," Sen. contr. X 6.

Alexander cum Tarsum pervenisset et percalefactus Cydno corpus suum immersisset, in gravem morbum et summum vitae periculum incidit. Philippo medico potionem salutarem parante supervenerunt litterae a Parmenione missae admonentes, ut rex insidias Philippi ut a Dareo pecunia corrupti caveret. Sed Alexander sine ulla dubitatione medicamentum hausit, quod ei Philippus porrexit, haustoque ei litteras legendas tradidit.[1]) Quae narratio rhetoribus huius controversiae materiam dedisse videtur: „Tyrannicidae praemium. Tyrannus suspicatus sibi venenum datum ab eo medico, quem in arce habebat, torsit eum. ille pernegavit. misit ad medicum civitatis. dixit datum illi ab illo venenum, sed se remedium daturum. dedit poculum, quo exhausto statim periit tyrannus. contendunt de praemio," Calp. Fl. 13; cf. Quint. inst. orat. VII 2, 25. Cum Alexander confisus sit Philippo medico, rhetores usi sunt persona tyranni suspicacis.[2]) Controversia in eo posita est, quod dubium est, uter medicus tyranno venenum dederit. Quod alter medicus tyranno se remedium daturum esse dicit, non inutile puto esse commemorare Andromachum, Neronis medicum, remedium invenisse dici omnia venena innoxia reddens et varia mala praecavens.[3])

[1]) Arrian. anab. III 4, 7. Plut. Alex. 19. Curt. III 6, 9. Iust. XI 8, 3. Diod. XVII 31. Val. Max. III 8 ext. 6, Contrarius Philippo medico fideli Pyrrhi regis medicus narratur Romanis promisisse se pecunia accepta Pyrrhum veneno esse necaturum (Plut. Pyrrh. 21; cf. Ael. v. h. XII 33).

[2]) cf. Ael. v. h. X 5: *ἐοίκασι δὲ τῇ ὑὶ τῇ Αἰσώπου οἱ τύραννοι ὑποπτεύοντες καὶ δεδοικότες πάντα. ἴσασι γάρ, ὅτι ὥσπερ οὖν αἱ ὗς ὀφείλουσι καὶ ἐκεῖνοι τὴν ψυχὴν πᾶσιν.*

[3]) Galen. XIV 32. 216 K.; cf. Friedlaender, Sittengesch. I[8] p. 360.

Caesar cum a multis aequalibus tyrannus haberetur,[1]) nihilominus Pompeianis in Hispania victis sua sponte promisit se exercitum triduo dimissurum, si Pompeius idem faceret.[2]) Fieri potest, ut illud, quod Caesar promisit, rhetoribus obversatum sit, cum in controversia fingerent divitem victorem arma ponere a populo iussum triduo deliberasse, dum arma poneret: „Ex suspicione tyrannidis sit actio. Quaedam civitas, quae bello laborabat, cum duobus proeliis victa esset, adulescens dives <et> nobilis cum servorum et clientium manu armata processit in proelium. fugavit hostes. populus redeunti portas clusit. cum aperturum promitteret, si arma posuisset, respondit dives se deliberaturum. triduo deliberavit. rediit in civitatem positis armis. reus est tyrannidis," Ps. Quint. d. 352.

Cum Dionysii maioris prima uxor, Hermocratis filia, mortem sibi ipsa conscivisset, Dionysius in matrimonium duxit et Aristomacham Syracusanam, Hipparini filiam, et Doridem Locrensem. Ut ostenderet utramque feminam aequa habere iura, binae nuptiae uno et eodem die erant.[3]) Narrant Dionysium id spectasse, ne quis sciret, cum utra prius concumberet. Fieri potest, ut hac memoria rhetores incitati sint ad hanc controversiam fingendam: „Rapta raptoris aut mortem aut indotatas nuptias optet. Una nocte quidam duas rapuit; altera mortem optat, altera nuptias," Sen. contr. I 5. Quae controversia ita amplificata est apud Calp. Fl. 51: „Lex raptarum. quidam duas rapuit. productae ad magistratus altera nuptias, altera mortem petit. magistratus humaniorem sententiam secuti

---

[1]) cf. Reichel, quaestiones progymnasmaticae, Diss. Lips. 1909 p. 102.

[2]) Caes. b. c. III 10, 9. Drumann, Gesch. Roms² III 1916 p. 361, 7.

[3]) Diod. XIV 44, 6. Plut. Dio 3. Schol. Plat. epist. 320 A. Cic. Tusc. V 59. Ael. v. h. XIII 10.

sunt. post factas nuptias illa, quod virgo perpessa est, quem conceperat, peperit. exposuit. raptor suscepit, qui tunc erat maritus alterius, et alere coepit. reus est uxori malae tractationis."

Notissima est fabula, quae narratur de Oedipode, qui ignarus patre interfecto matrem in matrimonium duxit; cuius fabulae historiam docte et copiose exposuit C. Robert. Rhetores eam detorserunt ad hanc controversiam fingendam: „Maritus peregre proficiscens praecepit uxori, ut partum exponeret. expositus est puer. maritus peregre uxore herede decessit. Post tempus quidam adulescens, cuius aetas cum expositionis tempore congruebat, coepit dicere se filium et bona sibi vindicare. inter moras iudicii bello idem adulescens fortiter fecit. petit praemio nuptias eius, quam matrem dicebat, manente priore iudicio," Ps. Quint. 306. Cum in fabula Oedipodi, quod Sphingis aenigma solvit, regina, quam suam esse matrem nescit, in matrimonium detur, prorsus incredibiliter rhetores finxerunt iuvenem bona petisse ut filium, tum, postquam fortiter pugnavit, nuptias matris. Controversia in eo posita est, quod dubium est, utrum filius sit necne.

Euripides in fabula, quae inscribitur Medea, hoc argumentum tractat: Iason, qui cum Medea uxore Corinthum venit, sibi despondet filiam Creontis regis, qui Medeam terra egredi iubet spatio unius diei dato. Irata de mariti perfidia[1]) Medea ulcisci animum inducit. Veste veneno tincta et corona aurea, quae dona per liberos mittit, filiam regis regemque auxilio currentem necat; tum ipsa duos filios suos interficit et curru Solis draconibus vecta Athenas effugit maritum lamentantem.[2]) Memorabile est apud Euripidem primum Medeam ipsam filios suos necare. Qua ex fabula, quam inter Romanorum poetas tractaverunt Ennius, Ovidius, Seneca, rhetores eo

[1]) Eur. Med. 476 sqq. 482. 527 sqq.

[2]) cf. etiam Apd. I 9, 28. Hyg. f. 25. Diod. IV 54, 7.

controversiam fecerunt, quod in dubio relinquunt, utrum filius a matre an a noverca interfectus sit: „Repudiata est a marito, quae filium habebat. petit assidue, ut reconciliaretur. non impetravit. postremo ait: 'vindicabo me.' superduxit ille puero novercam. obiit puer signis ambiguis cruditatis et veneni. reas se invicem faciunt repudiata mater et noverca superducta," Calp. Fl. 35. Rhetores quod finxerunt filium non ferro, sed veneno esse necatum, de sua aetate cogitasse mihi videntur, qua id genus caedis frequens erat, cf. Iuv. sat. VI 133:

„hippomanes carmenque loquar coctumque venenum
privignoque datum?"

VI 639: „set clamat Pontia 'feci,
confiteor, puerisque meis aconita paravi,
quae deprensa patent, facinus tamen ipsa peregi'."

Cum Thebae a septem ducibus oppugnarentur, edixit Tiresias vel oraculum Delphicum [1]) Martem, qui propter draconem a Cadmo necatum irasceretur, mitigari non posse nisi immolato Menoeco, Creontis filio. Creon renuntians gloriae Lei, Erechthei, Aristodemi, Hyacinthi filium ad celerem fugam incitavit. Sed Menoecus, qui patris consilium se secuturum esse simulaverat, patriae amore impulsus sua sponte sanguinem profudit, quo facinore praeclaro patriae victoriam dedit. Hanc Menoeci personam invenit Euripides in fabula, quae inscribilur *Φοίνισσαι*. Inter Romanos Euripidem secutus eandem fabulam tractavit Accius [2]); aetate imperatorum Menoeci mors fabulis salticis ostendebatur. [3]) Eadem persona usi rhetores haud inepte hanc finxerunt controversiam: „Qui pestilentia laborabant, miserunt legatum ad oraculum petendum. responsum est ei filium ipsius immolandum esse. ille nuntiavit civitati sacra desiderari, filio verum confessus est. sacris finitis pestilentia non est finita. filius processit in

[1]) Paus. IX 25, 1.

[2]) cf. Ribbeck, Röm. Trag. p. 480 sq.

[3]) Luc. de salt. 43; cf. Robert, Oidipus I 416 sqq.; II 155, 96.

contionem et se ipse interfecit. finita pestilentia reus est legatus laesae rei publicae," Ps. Quint. d. 326.

Menoeco non minorem virtutem praestitit filia Herculis[1]), quam personam idem Euripides invenit in fabula, quae inscribitur Ἡρακλεῖδαι. Heraclidae, cum Ceyx, rex Trachinis, Hercule mortuo ab insidiis Eurysthei eos defendere non posset, in tutelam Thesei se contulerunt; iam bellum ortum est inter Eurystheum et Athenienses. Qui cum oraculum accepissent victoriam se parturos esse immolato uno ex Heraclidis, filia Herculis ipsa se dedit immolandam et ab Atheniensibus victoribus splendide sepulta est.[2]) Idem argumentum, quod inter Romanorum poetas Accius in Heraclidis tractavit,[3]) rhetores ad controversiam ita adhibuerunt, ut fingerent non honestam virginem se obtulisse, sed eam, quae infamis esset in fratrem: „Infamis frater in sororem virginem occisus est lege indemnatorum. Lues orta est. respondit oraculum virginem immolari debere. offert se illa, quae infamabatur in fratrem," Calp. Fl. 44. Argumentum, quo frater sororem amat, rhetores fortasse mutuati sunt ex fabula, quae est de Canace et Macareo,[4]) qua in fabula Macareus ipse se interficit post sororis mortem.

Fabulam, quae est de Phaedra et Hippolyto, novit, *καὶ ὅστις βαρβάρων γλῶσσαν ἔμαθεν Ἑλλήνων.*[5]) Hanc fabulam,

---

[1]) Euripidi nomen Macariae ignotum esse demonstravit U. de Wilamowitz, de Euripidis Heraclidis commentatiuncula, Index scholarum, Gryphiswaldiae 1882 p. IX.

[2]) Eur. Heracl. 474 sqq. Paus. I 32, 5. Aristoph. equ. 1151 et Schol. Plut. Pelop. 21. Eust. ad Hom. p. 1405, 36. Anonym. misc. 2 ed. Westerm. p. 345.

[3]) cf. Ribbeck, Röm. Trag. p. 560 sq.

[4]) Hyg. f. 243. 238. Ps. Plut. par. min. 28; cf. Rohde, griech. Roman[3] p. 108, 2.

[5]) Paus. I 22, 1.

cui subest argumentum novercae in privignum amoris,[1]) Euripides in Hippolyto tractavit. Prior huius fabulae forma non ad nos pervenit; Atheniensibus displicebat, quod in ea Phaedra ipsa sine ullo pudore privigno amorem confessa est. Noverca eadem impudentia praedita occurrit in hac controversia: „Tyrannicidae praemium. Praemio cedere liceat. Qui novercam habebat, occidit tyrannum. cessit novercae praemio. illa privigni nuptias petit. contendunt, quis contradicat, maritus an privignus," Calp. Fl. 22.

De Antiocho, qui erat filius Seleuci I Nicatoris regis (312—280), hoc narratur: Amavit Antiochus Stratonicam novercam suam, patris Seleuci uxorem, et amore celato confectus in morbum incidit. Medicus sapientissimus occultam amoris aegritudinem suspicatus reginam ab adulescente amari eo detexit, quod, cum aegrotus feminam amatam conspiceret, eius arteriarum pulsus et oris color subito mutatus est. Dolo medicus Seleucum commovit, ut filio uxore cederet; primum enim finxit suam uxorem ab adulescente amari, tum regi imploranti, ut uxore cederet, veritatem aperuit. Omnibus fere locis,[2]) quibus illud narratur, appellatur Erasistratus medicus; sed hic, quem docuisse scimus celeriorem arteriarum pulsum et genas subito rubentes certa febris signa esse, teste Eusebio circa Ol. 130, 3 (258 a. Chr. n.) florebat, ergo una aetate iunior est Seleuco, quare recte iam Galenus de veritate lepidae illius narrationis dubitavit.[3]) Apud Plinium vero uno loco

---

[1]) Hoc argumentum in multis invenitur fabulis; cf. Wendland, de fabellis antiquis earumque ad christianos propagatione, Gottingae 1911 p. 13. 14. Ilberg in Roscheri lexico III col. 2224 sq.

[2]) Luc. de dea Syria 17. 18. App. Syr. 59—61. Plut. Dem. 38. Val. Max. V 7 ext. 1. Galen. XVIII B 40. XIV 631 K. Suid. s. v. Ἐρασίστρατος. Rohde, Griech. Roman[3] p. 55. Wendland, de fabellis antiquis p. 11. Mesk, Rhein. Mus. LXVIII 1913 p. 360 sqq.

[3]) Galen. XVIII B 18 K.

eadem fabula non de Erasistrato, sed de Cleombroto Ceo eius patre narratur, n. h. VII 123: „eandem scientiam (sc. praedictionis) in Cleombroto Ceo Ptolemaeus rex Megalensibus sacris donavit C talentis servato Antiocho rege.“ Unde apparet Plinium vetustiorem fabulae formam servasse, in qua non Erasistratus, sed Cleombrotus, eius pater, medicus fuit Seleuci I Nicatoris; postea autem fabula a patre ignoto ad filium illustriorem translata est.[1]) Notabile est etiam de Hippocrate Coo, qui erat annis 436—356, similem fabulam narrari. A Perdicca, rege Macedonum, in morbum inlapso arcessitus cognovit animi esse laborem: *ἤρα γὰρ* (Perdiccas) *μετὰ τὸν τοῦ πατρὸς Ἀλεξάνδρου θάνατον Φίλας τῆς παλλακίδος αὐτοῦ, πρὸς ἣν δηλώσαντα τὸ γεγονός, ἐπειδὴ παρεφύλαξε ταύτης βλεπομένης παντελῶς ἐκεῖνον τρέπεσθαι, λῦσαι μὲν τὴν νόσον, ἀνακτήσασθαι δὲ τὸν βασιλέα.*[2]) Videmus igitur, quomodo medici sapientia eadem fabula illustretur, quae ab Hippocrate ad Cleombrotum translata est, ab hoc autem ad Erasistratum.[3]) Fabulam illam, quae narrabatur de Antiocho, rhetores ad controversiam fingendam adhibuerunt; neque vero medico prudenti summas partes dare poterant, cum non esset idoneus, qui accusaretur. Magis idoneus erat pater, quem, quia filio uxore cessit, propter nimiam lenitatem dementiae accusatum esse finxerunt; praeterea pro uno duos filios patri dederunt, ut alter eum accusaret; iam intellegimus hanc controversiam: „Dementiae sit actio. Qui habebat duos filios, duxit uxorem. alter ex adulescentibus cum aegrotaret et in ultimis esset, medici dixerunt

---

[1]) cf. Wellmann, Hermes XXXV 1900 p. 380.

[2]) Ps. Soran. Vit. Hippocr. 2, Westermann, *Βιόγραφοι* p. 450; cf. Pauly-Wissowa V 1644.

[3]) Postea Galenus gloriatur se simili modo amorem uxoris Iusti, quae amabat Pyladem pantomimum, agnovisse; cf. Galen. XIV 631 sq. K. Ilberg, Neue Jahrb. f. kl. Alt. XV 1905 p. 289 sq.

animi vitium esse. intravit ad filium stricto gladio pater; rogavit, ut indicaret sibi causam. ait amari a se novercam. cessit illi uxore sua pater. ab altero accusatur dementiae," Sen. contr. VI 7. Quae controversia ab illa fabula eo differt, quod pater ipse minis usus secretum filio elicit et sua sponte uxore cedit neque medici dolo, ut id faciat, commovetur. Porro eadem fabula fictae Aristaeneti epistulae[1]) subest, quo loco non erat, cur medici dolus omitteretur. In nominibus fingendis Aristaenetus alludit ad Heliodorum[2]), apud quem puellae aegrotae nomen est Chariclea, medico Acestinus, patri Charicles, cum apud Aristaenetum filius aegrotus Charicles, medicus Panacius, pater Polycles appellentur. Uterque scriptor comoediarum poetas secutus adhibuit nomina a moribus atque condicionibus personarum derivata. Ceterum mirandum non est in illa Aristaeneti epistula similes nos invenire sententias quales apud Senecam.[3])

Controversia, quam modo attulimus, exemplar alterius controversiae facta est, in qua filius non novercam, sed fratris uxorem amat: „Qui duos filios habebat uni uxorem dedit. altero aegrotante et dicentibus medicis animi esse languorem, intravit stricto gladio minatus se moriturum pater, nisi causam indicasset. confesso amari a se fratris uxorem, frater petente patre cessit. ille in adulterio eam cum priore marito deprehensam occidit. abdicatur," Ps. Quint. d. 291, cf. Calp. Fl. 48. Argumentum, quo fratris uxor amatur, in compluribus occurrit narrationibus, velut

---

[1]) Aristaenet. I 13.

[2]) Heliod. IV 7. Rohde, Griech. Roman[3] p. 59, 2.

[3]) Aristaen. l. c.: *ἐπεὶ δὲ πάλιν ἐνέκειτο Πολυκλῆς ἀντιβολῶν τὸν ἄνδρα, καὶ πάλιν σωτηρίαν, οὐ μοιχείαν ἐκάλει τὸ πρᾶγμα*, cf. Sen. contr. exc. VI 7 p. 263, 15: „hoc adulterium esse non putas, quod marito conciliante committitur? . . . quam demens est, cui adulterium pro beneficio imputatum est!"

Thyestes cum Aeropa, Atrei uxore, concubuit[1]), et Xerxes Masistis fratris uxorem adamavit.[2])

Vix ulla exstat fabula, in qua pulchrius amicorum fides celebretur, quam quae est de Damone et Phintia; cuius fabulae historiam cum iam Gasse[3]) copiose illustraverit, argumentum breviter adumbrare satis habeo: Erant amici Damon et Phintias; quorum cum Phintias Dionysium tyrannum interficere animum induxisset, deprehensus capitis damnatus est. A tyranno spatium trium dierum ad res domesticas ordinandas ea condicione impetrat, ut Damonem amicum vadem det, de quo supplicium, si ipse non redierit ad diem certam, sumatur. Sed Phintia praeter exspectationem reverso tyrannus amicorum fidem ita admiratur, ut se tertium amicorum societati adscribi velit. Parum ingeniose rhetores fabulam illam notissimam ad hanc controversiam commutabant: „Duo amici, ex quibus uni mater erat, peregre profecti ad tyrannum appliciti sunt. mater cognito, quod filius haberetur a tyranno, flendo oculos amisit. oblata est a iuvenibus tyranno condicio, ut dimitteret alterum ad visendam matrem, ad diem praestitutam reversurum ita, ut, nisi occurrisset ad diem, de eo, qui restiterat, poena sumeretur. et iure iurando adstrictus est. venit iuvenis in civitatem. mater detinet ex lege, qua parentes in calamitate deserere non licebat." Ps. Quint. decl. maior. 16. Rhetorum matationes et additamenta satis inepta sunt. Otiose pro uno Phintia duos amicos tyranno insidias struentes inducunt, quorum alteri matrem — non sororem[4]) — dederunt, quam flendo oculos perdidisse praeter fidem finxerunt. Controversia in eo posita est, quod amico aut ius iurandum neglegendum est aut lex violanda, qua parentes in calamitate deserere non

1) Hyg. fab. 86 p. 84 Schm.

2) Herod. IX 108.

3) Rhein. Mus. LXVI 1910 p. 606 sqq.

4) Hyg. fab. 257 p. 142 Schm.

licet, vel, quod ei diiudicandum est, utrum amici fidem an matris amorem pluris aestimet.

De Eulimene narrat Parthenius 35: *Ἐν δὲ Κρήτῃ ἠράσθη Λύκαστος τῆς Κύδωνος θυγατρὸς Εὐλιμένης, ἣν ὁ πατὴρ Ἀπτέρῳ καθωμολόγητο πρωτεύοντι τότε Κρητῶν. ταύτῃ κρύφα συνὼν ἐλελήθει. ὡς δὲ τῶν Κρητικῶν τινες πόλεων ἐπισυνέστησαν Κύδωνι καὶ πολὺ περιῆσαν, πέμπει τοὺς πευσομένους εἰς θεοῦ, ὅτι ἂν ποιῶν κρατήσειεν τῶν πολεμίων. Καὶ αὐτῷ θεσπίζεται τοῖς ἐγχωρίοις ἥρωσι σφαγιάσαι παρθένον. ἀκούσας δὲ τοῦ χρηστηρίου Κύδων διεκλήρου τὰς παρθένους πάσας, καὶ κατὰ δαίμονα ἡ θυγάτηρ τυγχάνει. Λύκαστος δὲ δείσας περὶ αὐτῆς μηνύει τὴν φθορὰν καὶ ὡς ἐκ πολλοῦ χρόνου συνείη αὐτῇ. ὁ δὲ πολὺς ὅμιλος πολὺ μᾶλλον ἐδικαίου αὐτὴν τεθνάναι. ἐπειδὴ δὲ ἐσφαγιάσθη, ὁ Κύδων τὸν ἱερέα κελεύει αὐτῆς διατεμεῖν τὸ ἐπομφάλιον, καὶ οὕτως εὑρέθη ἔγκυος . . . .* Iam videamus, quomodo rhetores ex hac fabella controversiam non ineptam composuerint: „In pestilentia responsum est virginem immolandam. Sorte ductam pater virginem negavit, magistratus immolavit: non finiebatur pestilentia. Iterum sortiti sunt. altera immolata est: sedata est pestilentia. Prioris patri magistratus caedis reus est,“ Ps. Quint. d. 384. Rhetores recte sic argumentati sunt: Si puella, quae immolabatur, non iam virgo erat, pestilentia sedari non potuit, sedata autem est, cum virgo immolata est; itaque altera sortitione opus erat. Haud stulte rhetores finxerunt a prioris puellae patre magistratum esse accusatum. Memorabile est in controversiis semper ob pestilentiam virginem immolandam esse, cum in fabulis saepius ad victoriam adipiscendam idem sacrificium flagitetur (cf. p. 36).

Harmodius et Aristogiton cum aliis contra Pisistrati filios coniurati anno a. Chr. n. 514 consilium in pompa, quae erat die festo Minervae, exsecuti sunt. Sed minus prospere res cessit Hipparcho uno trucidato. Harmodio ilico percusso Aristogiton ab Hippia usque eo torsus est, dum animam efflavit; quem tradunt in tormento nullum ex

amicis prodidisse, immo tyranni amicos ut conscios denuntiasse, quos ille omnes interfecerit. Idem fere, quod de Aristogitone, narratur de Leaena, quae erat meretrix Aristogitonisque amica. Quae dicitur post Hipparchum interfectum ab Hippia usque ad mortem torta esse, ut coniurationis conscios indicaret, neque quemquam prodidisse.[1]) Plinius unus narrat Leaenam iam ante Hipparchi necem tortam esse neque indicasse Harmodium et Aristogitonem, cf. Plin. n. h. XXXIV 72: „Amphicrates Leaena laudatur. scortum haec lyra cantu familiaris Harmodio et Aristogitoni consilia eorum de tyrannicidio usque in mortem excruciata a tyrannis non prodidit". VII 87: „Patientia corporis, ut est crebra sors calamitatium, innumera documenta peperit, clarissimum in feminis Leaenae meretricis, quae torta non indicavit Harmodium et Aristogitonem tyrannicidas." Hanc narrationis formam rhetores in animo habuisse videntur, cum fingerent: „Torta a tyranno uxor, num quid de viri tyrannicidio sciret, perseveravit negare. postea maritus eius tyrannum occidit. illam sterilitatis nomine dimisit intra quinquennium non parientem. ingrati actio est," Sen. contr. II 5. Cum Leaena in tormentis animam exspiraverit, rhetores finxerunt uxorem postea a marito sterilitatis nomine dimissam esse.

Iam quae sequuntur satis incerta atque in meris coniecturis posita sunt, quamquam indicasse iuvabit.

Coronis, Phlegyae filia, cum Apolline concubuit. Gravida autem in domo patris clam cum Ischyde, Elati filio, rem habuit, qua de causa irato ab Apolline interfecta est.[2]) Ad hanc fabulam fortasse rhetores respexerunt fingentes: ‚Supplicia praegnantium in diem partus differantur. Praegnantem in adulterio deprehensam occidit maritus: reus est caedis. C. D.," Ps. Quint. d. 277.

[1]) Paus. I 23, 1—2. Polyaen. VIII 45. Plut. de garrul. 8. Athen. XIII 596 F, ubi Leaena Harmodii amica est.

[2]) Pind. Pyth. 3, 5—46 et Schol. Ovid. met. II 542 sqq. Serv. Verg. Aen. VII 761.

Cum Thraces, qui Strongylam incolebant, Iphimediam, Aloei uxorem, et Pancratim[1]) filiam ex Thessalia rapuissent, Aloeus Otum et Ephialtem filios misit, ut illas repeterent. Qui Thracibus victis insula potiti sunt, quam Diam vocabant; *ὕστερον δὲ στασιάσαντες πρὸς ἀλλήλους καὶ μάχην συνάψαντες τῶν τε ἄλλων πολλοὺς ἀπέκτειναν καὶ ἀλλήλους ἀνεῖλον, ὑπὸ δὲ τῶν ἐγχωρίων εἰς τὸν λοιπὸν χρόνον ὡς ἥρωες ἐτιμήθησαν.*[2]) Verisimile mihi videtur esse hanc narrationem rhetores sibi proposuisse, cum fingerent: „Malae tractationis sit actio. Quidam duos filios pancratiastas instituit; eduxit ad Olympia. cum conpositi essent, ut simul pugnarent, accessit ad pugnantes pater et ait abdicaturum se, si quis perdiderit. conmortui sunt iuvenes et decreti his divini honores. reus fit pater malae tractationis ab uxore," Sen. contr. V 3. Narratio illa et controversia eo consentiunt, quod fratres invicem se necant iisque divini honores decernuntur; tum nomen pancratiastarum Pancratim nobis in animum revocat.

Philippus, Demetrii filius, pacem, quam anno a. Chr. n. 205 cum Romanis et sociis fecerat,[3]) eo violavit, quod eas nationes, quae eum in bello contra Aetolos gesto in discrimen vocaverant, aggressus est; maxime Cretenses contra Rhodios incitavit et per legatos eo magis contra se accendit Rhodios, quibuscum Attalus se coniunxit. Post pugnam apud Chium commissam, in qua neutra pars victa est,[4]) Philippus Chium cepit et Attali terram vastavit.[5]) Vix Plutarcho fides habenda est tradenti Philippum tum

---

[1]) cf. Parth. 19 Pancrato.

[2]) Diod. V 51, 2.

[3]) Liv. XXIX 12, 15.

[4]) Polyb. XVI 8, 1. Liv. XXXI 14, 4.

[5]) Appian. Mac. 3: *ὅτι μετ᾽ οὐ πολὺ Φίλιππος μὲν τῶν ὑπηκόων τοῖς ἐπὶ θαλάσσης στόλον ἐπαγγείλας Σάμον καὶ Χίον εἷλε καὶ μέρος τῆς Ἀττάλου γῆς ἐπόρθησε*; cf. Diod. exc. de virt. et vit. 237 (28, 5) p. 270 Büttner-Wobst.

frustra Chium oppugnasse, fabulosa enim videtur esse narratio, quam legimus apud Plut. Mul. virt. 245 B: *τούτου δ᾽οὐδέν τι λειπόμενον ἔργον ἀρετῇ καὶ χρόνοις ὕστερον πολλοῖς ἐπράχθη ταῖς Χίων γυναιξίν, ὁπηνίκα Φίλιππος ὁ Δημητρίου πολιορκῶν τὴν πόλιν ἐκήρυξε κήρυγμα βάρβαρον καὶ ὑπερήφανον ἀφίστασθαι τοὺς οἰκέτας πρὸς ἑαυτὸν ἐπ᾽ ἐλευθερίᾳ καὶ γάμῳ τῆς κεκτημένης, ὡς συνοικιῶν αὐτοὺς ταῖς τῶν δεσποτῶν γυναιξὶ . . . τέλος δ᾽ἀμυνόμεναι καὶ βάλλουσαι τοὺς πολεμίους ἀπώσαντο τὸν Φίλιππον οὐδενὸς δούλου τὸ παράπαν ἀποστάντος πρὸς αὐτόν.* Idem argumentum, quo tyrannus servis permittit dominas suas rapere, rhetores ad hanc controversiam fingendam adhibuerunt: „Tyrannus permisit servis dominis interemptis dominas suas rapere. profugerunt principes civitatis, inter eos, qui filium et filiam habebat, profectus est peregre. Cum omnes servi dominas suas vitiassent, servus eius virginem servavit. Occiso tyranno reversi sunt principes, in crucem servos sustulerunt, ille manu misit et filiam collocavit. accusatur a filio dementiae," Sen. contr. VII 6. Cum in illa Plutarchi narratione omnes servi in fide maneant, rhetores finxerunt servos dominas suas vitiasse; qua in fictione fortasse in animo habuerunt Volsiniensium servos, qui rerum potiti „filias dominorum in matrimonium ducebant. postremo lege sanxerunt, ut stupra sua in viduis pariter atque nuptis inpunita essent ac ne qua virgo ingenuo nuberet, cuius castitatem non ante ex numero ipsorum aliquis delibasset." [1]) In fingenda persona servi modesti dominaeque parcentis rhetoribus fortasse obversata est narratio, quam tradidit Sen. de benef. III 23, 2—4: „Claudius Quadrigarius in duodevicesimo annalium tradit, cum obsideretur Grumentum [2]) et iam ad summam desperationem ventum esset, duos servos ad hostem transfugisse et operae pretium fecisse.

[1]) Val. Max. IX 1 ext. 2.

[2]) Hoc oppidum in Lucania situm in bello contra socios gesto expugnatum est; cf. Flor. II 6, 11. App. bell. civ. I 41.

Deinde urbe capta passim discurrente victore illos per nota itinera ad domum, in qua servierant, praecucurrisse et dominam suam ante se egisse. quaerentibus quaenam esset, dominam et quidem crudelissimam, ad supplicium ab ipsis duci professos esse. Eductam deinde extra muros summa cura celasse, donec hostilis ira consideret; deinde ut satiatus miles cito ad Romanos mores rediit, illos quoque ad suos redisse et dominam sibi ipsos dedisse. Manumisit utrumque e vestigio illa nec indignata est ab his se vitam accepisse, in quos vitae necisque potestatem habuisset." [1]) Id unum rhetores ipsi invenerunt a patre filiam servo manu misso in matrimonium datam esse; qua de causa pater accusatur dementiae.

Nota est narratio, qua L. Verginius virginem filiam sua manu occidit, ne Appii Claudii decemviri traderetur libidini. [2]) Qua usi rhetores finxerunt non filiam, sed filium a tyranno petitum a patre ipso necatum esse: „Indemnatos liberos liceat occidere. Tyrannus finitimae civitatis sub minis belli adulescentem speciosum postulavit. civitas decrevit. pater illum lege indemnatorum peremit. reus est laesae rei publicae," Calp. Fl. 45. Quae controversia ita amplificata est, ut non pater, sed eius amicus, cui pater filium commendavit, puerum a tyranno postulatum occidisse diceretur: „Tyrannidis tempore speciosum filium pater amico commendavit: vocavit ad se patrem eius tyrannus et tormentis expressit, ubi esset filius: satellites misit ad amicum, amicus puerum occidit, tyrannus re cognita se necavit, amicum mater pueri caedis accusat, adest ei pater," Fortunat. I 15 p. 93, 27 H. Rhetores quod finxerunt tyrannum adulescentem speciosum postulasse, de suae aetatis imperatorum moribus cogitasse videntur. Velut narratur de Tiberio apud Tac. ann. VI

---

[1]) cf. Macrob. Sat. I 11, 23.

[2]) Liv. III 48, 5. Dionys. XI 37, 5. Diod. XII 24, 4. Cic. de rep. II 63; de fin. II 66. V 64.

1: „et saepe in propinqua degressus, aditis iuxta Tiberim hortis, saxa rursum et solitudinem maris repetiit, pudore scelerum et libidinum, quibus adeo indomitis exarserat, ut more regio pubem ingenuam stupris pollueret. nec formam tantum et decora corpora, set in his modestam pueritiam, in aliis imagines maiorum incitamentum cupidinis habebat. tuncque primum ignota antea vocabula reperta sunt sellariorum et spintriarum ex foeditate loci ac multiplici patientia; praepositique servi, qui conquirerent pertraherent, dona in promptos, minas adversum abnuentes, et si retinerent propinquus aut parens, vim raptus suaque ipsi libita velut in captos exercebant.“ Iuvenalis ad rhetorum declamationes alludens verasque res adiungens dicit in sat. X 306: „nullus ephebum

deformem saeva castravit in arce tyrannus,
nec praetextatum rapuit Nero loripedem nec
strumosum atque utero pariter gibboque tumentem.“[1])

Omnino notissimum est rhetores aetate imperatorum eas in deliciis habuisse declamationes, in quibus occurrunt tyranni. De quibus recte dicit Gudeman, Tac. Dialog.² p. 425: „Die Beliebtheit dieser Themata hatte ihren Grund darin, dass man in der Kaiserzeit unter der scheinbar harmlosen Maske von Schulübungen antimonarchischen Gefühlen Luft machen konnte. Doch haben einige Rhetoren trotzdem diesen Freimut mit Verbannung oder Tod büssen müssen.“ Accepimus Secundum Carrinatem rhetorem[2]) a Caligula propter declamationem in exilium missum, Maternum rhetorem[3]) a Domitiano, quod in declamatione aliquid contra tyrannos dixerat, necatum esse.

---

[1]) cf. Suet. Nero 28: „puerum Sporum exsectis testibus etiam in muliebrem naturam transfigurare conatus, cum dote et flammeo per solemnia nuptiarum celeberrimo officio deductum ad se pro uxore habuit.“

[2]) Cass. Dio LIX 20, 6.

[3]) Cass. Dio LXVII 12, 5.

De origine Nonarum Caprotinarum[1]) narratur hoc: Gallis Roma profectis Latini bellum Romanis inferentes postulabant, ut matres familias et virgines sibi dederentur. Romani autem ancilla, cui nomen erat Tutela seu Philotis, suadente ancillas habitu matronarum et virginum ornatas hostibus tradiderunt, qui postea dolo ancillarum oppressi et victi sunt. Hanc materiam fuisse fabulae praetextae tradidit Varro.[2]) Aliam fabulae formam ad Aristidem Milesium auctorem relatam habemus apud Ps. Plut. par. min. 30, ubi res non de Latinis, sed de Gallis narratur; quorum dux appellatur Atepomarus, Rhetana ancilla prudens illud consilium prodente. Quae videtur recentior fabulae forma esse ad Gallos a Latinis eadem ratione detorta, qua in Simyli poemate[3]) Tarpeia Capitolium non, ut vulgo, Sabinis, sed Gallis prodidisse narrabatur. Argumentum, quo ancilla matronali habitu instructa pro filia mittitur, rhetores huic controversiae intexuerunt: „Qui voluntate domini in libertate fuerit, liber sit. Qui habebat patrem et sororem, captus est a piratis. scripserunt piratae patri, ut mitteret vicariam filiam futuram archipiratae uxorem. misit ille matronali habitu ancillam. remissus est adulescens. illa ab archipirata heres omnium bonorum relicta, rediit in civitatem. dicitur ancilla," Ps. Quint. d. 342. Alia in controversia maritus de stupro uxoris a peregrino negotiatore appellatus non uxorem, sed vestiplicam dominae habitu mittit: „Malae tractationis sit actio. Quidam pauper, formosae maritus a peregrino negotiatore ter de stupro uxoris adiecto pretio appellatus vestiplicam dominae habitu misit. malae tractationis reus est," Ps. Quint. d. 363. Simili modo Amasis

---

1) Macrob. Sat. I 11, 37—39. Plut. Rom. 29; Cam. 33. Polyaen VIII 30; cf. G. Wissowa, R. E. III 1552. Soltau. Anf. d. röm. Geschichtschr. 1909 p. 43 sqq.

2) Varro de l. l. VI 18.

3) Plut. Rom. 17.

Cambysem, Cyri filium, fefellisse dicitur, cui filiam postulanti Amasis non suam filiam, sed Nitetim, filiam regis prioris, veste aurea ornatam misit; quae cum ad Cambysem venisset, huic veritatem aperuit.[1]

Cum Acamas ante bellum Troianum cum Diomede Troiam mitteretur, ut Helenam reposceret, Laodice, Priami filia, tanto Acamantis, adulescentis pulcherrimi, amore exarsit, ut pudore omisso rem Philobiae, uxori Persei, qui erat rex Dardaniae, committeret; quae per maritum effecit, ut Acamas et Laodice Dardaniam convenirent, qua de re legimus apud Parth. 16: *ἦλθε καὶ Λαοδίκη ὡς εἰς ἑορτήν τινα σὺν ἄλλαις τῶν Τρῳάδων ἔτι παρθένος οὖσα. ἔνθα δὴ παντοδαπὴν θοίνην ἑτοιμασάμενος συγκατακλίνει καὶ τὴν Λαοδίκην αὐτῷ φάμενος μίαν εἶναι τῶν τοῦ βασιλέως παλλακίδων.* Qua cum fabula comparanda est controversia, in qua pauper, cum a divite in cena interrogetur, quaenam sit puella ministrans, dicit esse ancillam, cum revera filia pauperis sit: „Pauper divitem invitavit ad cenam. erat in ministerio puella pauperis. interrogatus pauper a divite, quaenam esset, dixit a n c i l l a m. discedens a cena dives eam rapuit. educta ad magistratus puella ex lege raptarum nuptias optavit. Dives accusat pauperem circumscriptionis," Ps. Quint. d. 301.

Fabula, quae est de Romulo et Remo,[2] qui iussu Amulii regis expositi a Faustulo pastore educantur, in hac controversia agnosci videtur: „Per vim metumque gesta ne sint rata. Pacta conventa legibus facta rata sint. Expositum qui agnoverit, solutis alimentis recipiat. Quidam duos filios expositos sustulit, educavit. quaerenti patri

---

[1]) Herod. III 1.

[2]) De hac fabula, quam Naevius Sophoclis fabulam, quae dicitur Tyro, imitatus tractavit in fabula praetexta Romulo cf. C. Trieber, Rhein. Mus. XLIII 1888 p. 569. Soltau, Anf. d. röm. Geschichtschr. 1909 p. 21 sqq: Archiv f. Religionswissenschaft XII 1909 p. 101 sqq.

naturali pollicitus est se indicaturum, ubi essent, si sibi alterum ex illis dedisset. pactum interpositum est. reddit illi duos filios, repetit unum," Sen. contr. IX 3.

In Luciani dialogo, qui inscribitur Toxaris, satis multa exempla amicorum fidei ostenduntur; ubi narratur in cap. 57—60 hoc: Toxaris et Sisennes amicus eius in itinere nulla sua culpa pauperes facti sunt. Sisennes pro amico cum gladiatore pugnat et pecuniam promissam sibi comparat. Sisennes vulneratur et postea sororem Toxaris in matrimonium ducit. Simile argumentum, quo amicus pro amico pugnat, invenimus in hac controversia, quae ceteris in rebus nullam habet congruentiam: „Abdicare et recusare liceat. Pauperis et divitis inimicorum filii iuvenes amici erant. filius divitis cum in piratas incidisset, scripsit patri de redemptione. illo morante profectus pauperis filius. cum amicum apud piratas non invenisset, quia lanistae venierat, pervenit in civitatem, in qua munus parabatur, sub tempus ipsum, quo pugnaturus erat divitis filius. pactus est cum munerario pauper adulescens, ut vicariis operis redimeret amicum, petitque, ut, si egeret pauper pater, alimenta ei praestaret. ipse in pugna occisus est. divitis filius reversus egentem invenit pauperem. palam coepit alere. abdicatur." Ps. Quint. decl. mai. 9.

Cephalus, filius Deionei, cum Procrin, Erechthei filiam, in matrimonium duxisset, ut uxoris fidem experiretur, octo annos peregre profectus mutata veste quasi mercator divitiis onustus rediit. Cuius muneribus et pulchritudine cum Procris ad adulterium adducta esset, Cephalus cum opprobriis se esse maritum aperuit.[1]) Ut ex hoc argumento controversia difficilis fieret, rhetores non solum additamenta fecerunt, sed etiam mutationes. Adversus fabulae memoriam, in qua uxor mercatori per-

---

[1]) Pherecyd. in schol. Hom. λ 321. Apd. III 15, 1. Hyg. fab. 189. Ovid. met. VII 690—862. Ant. Lib. 41.

sonato succumbit, rhetores finxerunt verum mercatorem marito absente uxorem tentasse, uxorem autem in fide permansisse: „Quidam cum haberet formonsam uxorem, peregre profectus est. in viciniam mulieris pereginus mercator commigravit; ter illam appellavit de stupro adiectis pretiis; negavit illa. decessit mercator. testamento heredem omnibus bonis reliquit formonsam et adiecit elogium: ‘pudicam repperi.’ adit hereditatem. redit maritus. accusat adulteri ex suspicione,“ Sen. contr. II 7.

Smicrus, Democlis filius, a Patrone educatus est, qui eum „pro suo filio nimio dilexit affectu eique filiam suam ducendam locavit uxorem.“[1]) Qua in fabula educator Smicro haud invito filiam in matrimonium dat; rhetores ita controversiam assecuti sunt, ut fingerent educatorem alumno persuadere voluisse, ut filiam uxorem duceret: „Quidam moriens adulescenti, quem pro filio educaverat, indicaturum se veros parentes pollicitus est, si iurasset se filiam, quam relinquebat, ducturum uxorem. iuravit adulescens. ille decessit. post mortem educatoris a naturali patre receptus, quia non vult orbam divitem ducere uxorem, abdicatur,“ Ps. Quint. d. 376.

Haud raro incertum est, quam narrationem rhetores in animo habuerint; nam ea adhibuerunt argumenta, quae in multis narrationibus sive veris sive fabulosis occurrunt.

Complures reges narrantur inimicos ita de medio sustulisse, ut eos in foveam igne completam deicerent; velut Ixion fertur Deioneum socerum in foveam igne completam deiecisse.[2]) Tum Darius II Nothus (424—405 a. Chr. n.) hoc dolo usus inimicos interfecisse dicitur.[3]) Archelaus autem, quod erat argumentum fabulae Euripideae, Cisseum regem, qui fovea cinere fervido completa

[1]) Schol. Stat. Theb. VIII 198; cf. Conon 33.

[2]) Schol. Apoll. Rhod. III 62. Diod. IV 69, 4.

[3]) Val. Max. IX 2 ext. 6; cf. Ctes. ecl. 50—51.

eum interimere voluit, ipsum eo deiecisse narratur.[1] Rhetores illud argumentum in crudelium regum historiis frequens ad crudelem lenonem transtulerunt in hac controversia: „Iuvenes frequenter ad lupanar veniebant. cum his leno frequenter denuntiasset, ne accederent, foveam fecit et complevit ignibus. adulescentes cum venissent, exusti sunt. accusatur a parentibus eorum leno laesae rei publicae," Calp. Fl. 5; cf. Fortunat. I 2 p. 83, 1 H.

Argumentum, quo venator, dum hastam in bestiam conicit, pro bestia casu hominem occidit, huic subest controversiae: „Dum venator hastam in feram misit, in hominem incidit. eo vulnere periit. reus est caedis," Fortunat. I 16 p. 94, 4 H. Ad quam fabulam rhetores spectaverint, in ambiguo est, cum idem argumentum saepius occurrat. Adrastus invitus non aprum, sed Croesi filium hasta percussit[2]; Anthippa a regis filio casu pro bestia icta est[3]) Similes sunt fabulae, quae narrantur de Cephalo[4]) et Cyanippo,[5]) qui in venatione uxores necaverunt bestiam adesse arbitrati. Apud Ps. Plut. par. min. 25 fabula narratur, in qua hasta consilio non in feram, sed in hominem invisum conicitur.

In fabulis interdum accidit, ut homo interficiatur in puteo vel necatus in puteum coniciatur. Uxor Phobei narratur Antheum, iuvenem pudicum, quem amabat, commovisse, ut descenderet in puteum, deinde lapide iniecto interfecisse.[6]) Diomedes et Ulixes thesaurum in puteo se invenisse simulantes Palamedi persuaserunt, ut eo descenderet, sed cum funis auxilio demissus esset, nihil insidiosi metuentem saxis obruerunt.[7]) Pari modo Timo-

[1]) Hyg. fab. 219 p. 129 Schm.

[2]) Herod. I 34—45; cf. Ach. Tat. II 34.

[3]) Parth. 32.

[4]) Schol. Hom. λ 321.

[5]) Parth. 10. Ps. Plut. par. min. 21.

[6]) Parth. 14.

[7]) Dict. bell. Troian. II 15.

clia hostem aurum quaerentem necavit.[1] Apud Plut. narrat. amat. 763 D narratur, quomodo duo iuvenes Lacedaemonii filias Scedasi stupraverint, deinde necatas in puteum coniecerint. Ad idem argumentum respicientes rhetores finxerunt: „Interrogatus filius, ubi esset pater, dixit: 'Ubicunque est, vivit'; at ille in puteo mortuus est iuventus," Quint. inst. orat. VII 2, 48.

Nonnulli tyranni sua sponte tyrannidem deposuisse dicuntur. Pindarus, Ephesiorum tyrannus, ne patriam in Lydorum potestatem redigeret, tyrannide deposita in Peloponnesum profectus est.[2] Timesias Clazomenius sua sponte e patria abiit, quod se etiam pueris odio esse putabat.[3] Clearchus, Heracleae tyrannus, simulabat se tyrannidem depositurum et imperium consilio trecentorum virorum traditurum esse.[4] Inter Romanos afferendus est Sulla, qui τὴν μεγάλην ἀρχὴν οὐδενὸς ἐνοχλοῦντος ἑκὼν ἀπέθετο.[5] Quibus exemplis usi rhetores has excogitaverunt controversias: „Conpetitori liceat in conpetitorem dicere. Tyrannus dominationem sub abolitione deposuit, ut, siquis obiecisset tyrannidem, capite puniretur. petit magistratum; conpetitor contradicit," Sen. contr. V 8; „Adfectatae tyrannidis sit actio. Qui tyrannidem deposuerat sub pacto abolitionis, iuxta arcem flens deprehensus est. adfectatae tyrannidis reus est," Ps. Quint. d. 267.

Tyrannus fulmine ictus occurrit in hac declamatione „Quo quis loco fulmine ictus fuerit, eodem sepeliatur. Tyranni corpus extra fines abiciatur. Tyrannus in foro fulminatus est: quaeritur, an eodem loco sepeliatur," Ps. Quint. d. 274. Verisimile mihi videtur esse rhetores antiquissimam Romanorum historiam in animo habuisse: Romulus Silvius

1) Plut. de mul. virt. 24; Alex. 22. Polyaen. VIII 40.

2) Ael. v. h. III 26.

3) Plut. praec. ger. r. publ. 15, 812 A. Ael. v. h. XII 9.

4) Ael. v. h. XIV 40.

5) App. b. c. I 103; cf. Kohl nr. 404.

fulmine necatus esse fertur;[1]) nec minus Tullus Hostilius fulmine ictus cum domo exustus esse narratur.[2])

Complures tyranni sive consilio sive inconsulto a puero amato interfecti esse narrantur. Hipparinus, filius Dionysii maioris et Aristomachae, dicitur ab Achaeo puero amato inconsulto necatus esse.[3]) Periander, Ambraciensium tyrannus, puerum amatum interrogasse dicitur, num nondum gravidus esset, ob quod dictum Aristoteles[4]) Periandro insidias esse paratas dicit, Plutarchus[5]) tyrannum a puero amato esse occisum narrat[6]). Archelaus, Macedonum rex, anno 399 a puero amato, cui nomen erat Crataeus vel Crateuas, sive inconsulto in venatione interemptus est[7]) sive ex coniuratione.[8]) Argumentum tyranni a puero amato necati in usum vocatur in hac controversia: „Qui patrem pulsaverit, manus ei praecidantur. Tyrannus patrem in arcem cum duobus filiis accersit; imperavit adulescentibus, ut patrem caederent. alter ex his praecipitavit se, alter cecidit. postea in amicitiam tyranni receptus est. occiso tyranno praemium accepit. petuntur manus eius; pater defendit," Sen. contr. IX 4.

In multis narrationibus invenimus argumentum, quo vir feminae vestem induit;[9]) velut narratur apud Herod. V 20, quomodo Persae a iuvenibus mulierum vestimenta indutis interfecti sint. Habemus controversiam, in qua

---

[1]) Liv. I 3, 9.

[2]) Liv. I 31, 8. Val. Max. IX 12, 1.

[3]) Parth. 24; cf. Athen. X 436 A.

[4]) Aristot. Pol. V 10, 1311a 37.

[5]) Plut. amat. 22, 768 F.

[6]) Periandrum revera a civibus expulsum esse auctor est Aristoteles (Pol. V 4, 1304a 31).

[7]) Diod. XIV 37, 6.

[8]) Aristot. Pol. V 10, 1311b 8 sqq. Plut. amat. 22, 768 F. Plat. Alc. II 141d. Ael. v. h. VIII 9.

[9]) cf. Rohde, griech. Roman[3] p. 515, 1.

tyrannus a viro feminae habitu occulto necatur: „Tyrannicidae praemium. Tyrannus cum in arcem duci iussisset cuiusdam sororem, frater habitu sororis ascendit et occidit tyrannum. eodem habitu magistratus illi praemii nomine statuam collocavit. iniuriarum reus est," Ps. Quint. d. 282. Quod in hac controversia magistratus tyrannicidae statuam muliebri habitu collocat, id ex analogia fictum est; comparari potest illud, quod narratur de Gelone apud Ael. v. h. XIII 37: Gelon, qui erat mitis Syracusanorum tyrannus, cum audisset nonnullos homines seditiosos periculum sibi conflare, consilio convocato armatus adfuit. Postquam exposuit insidias sibi optime de civibus merito parari, omnia arma exuit et civium voluntati se prodidit, ut de se statuerent, quidquid vellent. Qui valde mirati imperium ei reddiderunt, quin etiam seditiosos illos homines puniendos ei tradiderunt; sed Gelon a populo eos puniri voluit; ipsi autem cives statuam tunica discincta indutam collocaverunt.[1]) Ut in hac fabula Geloni statua collocatur eo habitu, quo civibus admirationi fuit, ita in controversia illa tyrannicidae statua eo ponitur habitu, quo facinus exsecutus est.

Fidae uxores cum omnibus temporibus fuerint, in fabulis haud raro accidit, ut uxores mortuis vel occisis viris supervivere nolint:[2]) Euadne, filia Iphis, uxor Capanei, in eandem pyram se coniecit, in qua corpus mariti comburebatur.[3]) Laodamia, Acasti filia, propter desiderium Protesilai mariti ipsa se interfecit.[4]) Eadem persona usi rhetores finxerunt: „Vir et uxor iuraverunt, ut si quid

---

[1]) Discrepantem fabulae formam habemus apud Ael. v. h. VI 11. Polyaen. I 27, 1. Diod. XI 26, 4.

[2]) cf. Hieron adv. Iov. I 45. Bickel, Diatribe in Senecae philosophi fragmenta I 1915 p. 289 sqq. 333 sqq.

[3]) Apd. III 7, 1. Hyg. f. 243.

[4]) Hyg. f. 243; cf. R. Hirzel, Archiv f. Religionswissenschaft XI 1908 p. 78, 4; 79, 1.

alteri obtigisset, alter moreretur. Vir peregre profectus misit nuntium ad uxorem, qui diceret decessisse virum. Uxor se praecipitavit. Recreata iubetur a patre relinquere virum. non vult; abdicatur," Sen. contr. II 2. Similiter atque in hac controversia uxor Aegeus se praecipitavit, cum falso putaret Theseum filium decessisse, vel in mare[1]) vel de arce[2]); tum Anticlia Autolyci filia, mater Ulixis, nuntio falso audito de Ulixe ipsa se interfecit[3]); controversia eo differt, quod maritus ipse falso uxori mortem nuntiat.

Uxorem eadem fide praestantem invenimus in hac controversia: „Adulter excaecetur. Uxor virum in calamitate ne deserat. Quaedam patri de marito ter questa et tacere iussa postea ab excaecato ob adulterium viro quia non recedit, abdicatur," Ps. Quint. d. 357. Ad hanc controversiam fingendam rhetores legem Zaleuci, Locrorum legislatoris, ex qua adulter deprehensus excaecandus esset,[4]) cum argumento fidae uxoris coniunxerunt.

Apud Hyg. fab. 253 enumerantur inter eas, „quae contra fas concubuerunt," hae fabulae, in quibus pater filiam amat: „Pelopia cum Thyeste patre, Harpalyce cum Clymeno patre, Hippodamia cum Oenomao patre, Procris cum Erechtheo patre, ex quo natus est Aglauros. Nyctimene cum Epopeo patre rege Lesbiorum." Aetate imperatorum Sex. Marius, Hispaniarum ditissimus, defertur incestasse filiam et saxo Tarpeio deicitur.[5]) Argumento patris in filiam infamis rhetores usi sunt haec fingentes: „Qui causa mortis fuerit, capite puniatur. Speciosam quidam filiam de amore confessus amico dedit servandam et rogavit, ne sibi redderetur petenti. post tempus peti<i>t. non

---

1) Serv. Aen. III 74. Hyg. fab. 43.

2) Diod. IV 61, 7.

3) Hyg. fab. 243.

4) Ael. v. h. XIII 24.

5) Tac. ann. VI 19.

accepit. suspendit se. accusatur amicus, quod causa mortis fuerit," Ps. Quint. d. 289.

Persona soceri in nurum infamis huic subest controversiae: „Adulteros liceat occidere. Infamis fuit in nurum; invenit filius adulterum obvoluto capite nec eum occidit. Interrogatur a patre, qui fuit adulter, cui pepercerit; non dicit et abdicatur," Fortunat. I 6 p. 85, 24 H. Verisimile est adulterum obvoluto capite, quem filius invenit, patrem fuisse. Argumentum, quo filius patrem non agnoscit velatum, rhetores videntur mutuati esse ex quaestione illa, quae dicitur *ὁ ἐγκεκαλυμμένος* et Eubulidi Milesio[1]) vel a nonnullis Diodoro Crono[2]) inventori ascribitur. Quae quaestio qualis fuerit, apparet ex Luc. vit. auct. 22: *ΧΡΥΣ. Τὸν δ᾽αὖ ἐγκεκαλυμμένον καὶ πάνυ θαυμασιὸν ἀκούσῃ λόγον. ἀπόκριναι γάρ μοι, τὸν πατέρα οἶσθα τὸν σεαυτοῦ; ΑΓΟ. Ναί ΧΡΥΣ. Τί οὖν; ἤν σοι παραστήσας τινὰ ἐγκεκαλυμμένον ἔρωμαι, τοῦτον οἶσθα; τί φήσεις; ΑΓΟ. Δηλαδὴ ἀγνοεῖν. ΧΡΥΣ. Ἀλλὰ μὴν αὐτὸς οὗτος ἦν ὁ πατὴρ ὁ σός· ὥστε εἰ τοῦτον ἀγνοεῖς, δῆλος εἶ τὸν πατέρα τὸν σὸν ἀγνοῶν.*[3]) Videmus hanc quaestionem fuisse inter eas quaestiones a sophistis excogitatas, quae utramque in partem cum pari iure vel iniuria solvi poterant. Eadem quaestio rhetoribus obversata esse videtur in hac declamatione: „Adulterum cum adultera liceat occidere. reus caedis advocatum quem volet eligat. erat infamis in nurum. invenit adulescens incertum quem adulterum capite velato. uxorem solam peremit. fit reus caedis. advocatum patrem postulat. contradicit," Calp Fl. 49. Si rhetores in persona soceri in nurum infamis de certa persona cogitaverunt, fieri potest, ut in animo habuerint Xerxem, qui amavit Artayntam, uxorem Darei filii,[4]) vel

[1]) Diog. Laert. II 108.

[2]) Diog. Laert. II 111.

[3]) cf. Diog. Laert. VII 198. Aristot. Soph. elenchi XXIV 179a 33. Gomperz, Griech. Denker II p. 157.

[4]) Herod. IX 108.

Periclem, quem ipsum quoque filii uxorem adamasse Stesimbrotus tradidit.[1])

Fratres inimici in hac controversia occurrunt: ‚Filii familiae duo adulescentes fratres dissidebant. iuncta erant eorum cubicula. quodam tempore audito tumultu in interiore parte domus venit pater in eum locum, in quo clamor erat. invenit alterum ex filiis occisum. cubicularium eius torsit et occidit in tormentis. quid compererit incertum est. interrogavit illum filius, quid comperisset. non indicantem accusavit dementiae. absolutus est pater. iuvenis parricidii accusatur, adest illi pater,“ Ps. Quint. d. 328, ubi rhetores hanc declamationem exemplar sibi proposuisse et amplificasse videntur: „Malae tractationis sit actio. Speciosum filium infamem, tamquam incestum cum matre committeret, pater in secreta parte domus torsit et occidit in tormentis. interrogat illum mater, quid ex filio compererit. nolentem dicere malae tractationis accusat,“ Ps. Quint. decl. mai 18. Quod pater filio parricidii reo adest, rhetores fortasse memores erant patris Horatii illius, qui suam necaverat sororem.[2])

Persona patris severi, qui ne suis quidem liberis parcit, cuius personae exempla tritissima erant apud Romanos Iunius Brutus et Manlius Torquatus,[3]) in hac controversia usurpatur: „Sacerdos tria praemia accipiat. viro forti praemium. Dives sacerdos inimici pauperis filium sacrilegum uno praemio liberavit. eundem adulterii damnatum secundo praemio absolvit. bello patriae pauper

---

[1]) Athen. XIII 589 D. E. Argumentum soceri in nurum infamis adhibetur etiam a Catullo in c. 67, 23:

„Set pater ipsius gnati violasse cubile
dicitur et miseram conscelerare domum.“

[2]) Liv. I 26, 9.

[3]) cf. Sen. contr. X 3, 8: „animadvertit Manlius in filium et victorem, animadvertit Brutus in liberos non factos hostes, sed futuros.“

fortiter fecit, filius ille deseruit. vult eundem tertio praemio sacerdos liberare; petit praemio vir fortis pater, ut occidatur," Ps Quint. d. 304. Similiter ficta est haec declamatio: „Desertor duci serviat. viro forti praemium. pauper et dives inimici. dives creatus est imperator. pauper sub illo cum specioso adulescente militavit. pauper fortiter fecit, adulescens deseruit. dives iure egit. pater praemio petit, ut occidatur," Calp. Fl. 36.

Pars posterior.

Quatenus controversiae, quae imperatorum aetate in usu erant, suae aetatis rebus moribusque accommodatae sint.

Suetonium duo genera controversiarum fictarum distinguere supra (p. 7) vidimus; in altero genere argumenta ex historiis trahebantur, in altero „ex veritate ac re, si qua forte recens accidisset." Cum aetate imperatorum periculosum fuerit res praesentes attingere, mirandum non est numerum earum controversiarum, in quibus rhetores certas res sua aetate gestas in animo habuerunt, exiguum esse. Sane respiciendum est rhetores etiam in argumentis ex rerum memoria tractis interdum indicia ad suam aetatem spectantia admiscuisse, id quod supra vidimus (p. 36. 47). Maxime res Tiberio imperatore gestae aliquantum attulerunt ad controversias fingendas. Sic narrationem, quae diutissime vulgo de Seiano iactabatur, tradidit Tac. ann. IV 10: „Corrupta ad scelus Livia Seianum Lygdi quoque spadonis animum stupro vinxisse, quod is aetate atque forma carus domino interque primores ministros erat. deinde inter conscios ubi locus veneficii tempusque conposita sint, eo audaciae provectum, ut verteret et occulto indicio Drusum veneni in patrem arguens moneret Tiberium vitandam potionem, quae prima ei aput filium epulanti offerretur. Ea fraude illectum senem, postquam convivium inierat, exceptum poculum Druso tradidisse; atque illo ignaro et iuveniliter hauriente auctam suspicionem, tamquam metu et pudore sibimet inrogaret mortem, quam patri struxerat. Haec vulgo iactata super id, quod nullo auctore certo firmantur, prompte refutaveris."

Quam narrationem fabulosam rhetores in compluribus controversiis attingere videntur. Habemus controversiam, in qua privignus a noverca arguitur veneni in patrem parati, ubi rhetores novercae dederunt partes, quas in illa narratione agit Seianus: „Ex incendio domus adulescens patrem extulit. dum matrem repetiit, et ipsam et oculos amisit. induxit illi pater novercam. quae accessit quodam tempore ad maritum, dixit parari illi venenum, quod iuvenis in sinu haberet, et sibi promissam dimidiam partem bonorum, si illud marito porrexisset. intravit ad caecum pater interrogavitque, an haec vera essent. ille negavit. exquisivit et invenit in sinu venenum. interrogavit cui parasset: ille tacuit. recessit pater et mutato testamento novercam fecit heredem. eadem nocte strepitus in domo fuit. intravit familia in cubiculum domini, invenit ipsum occisum et novercam iuxta cadaver dormienti similem, caecum in limine cubiculi sui stantem, gladium eius sub pulvino cruentatum. accusant se invicem caecus et noverca," Ps. Quint. decl. mai. 2. Haec controversia nihil aliud est nisi amplificatio eius, quae antecedit: „Quidam, cui erat filius caecus, quem heredem instituerat, induxit illi novercam iuvenemque in secreta domus parte seposuit. is noctu, dum in cubiculo cum uxore iaceret, occisus est inventusque postero die habens gladium filii defixum in vulnere pariete ab ipsius ad filii cubiculum vestigiis palmae cruentato. accusant se invicem caecus et noverca," Ps. Quint. decl. mai. 1. Argumentum, quo gladius ab alio sumitur, ut ad hunc caedis suspicio derivetur, adhibetur etiam apud Ps. Plut. par. min. 33 (cf. p. 20 n. 7), ubi hoc narratur: Hippodamia, uxor Pelopis, Chrysippum privignum, quem regnum petiturum esse suspicabatur, cum Atreus et Thyestes filii facinus abnuerent, ipsa necavit gladio Lai, Chrysippi amatoris, sumpto, ut ad hunc suspicionem facinoris derivaret. Contra in controversia noverca maritum interficit sumpto gladio filii caeci. Iam redeamus ad Ps. Quint. decl. mai. 2. In cuius initio

cum addàtur, quomodo ex filio privignus caecus factus sit, rhetoribus obversata esse videtur haec controversia: „Metellus pontifex, cum arderet Vestae templum, dum Palladium rapit, oculos perdidit," Sen. contr. IV 2. Cum Metellus nihil nisi oculos perdat, filius in illa controversia, cum matrem ex incendio efferre studeat, non solum oculos, sed etiam matrem amittit. Quod uxor iuxta cadaver dormienti similis invenitur, eius rei similes tum revera accidisse apparet ex Tac. ann. IV 22, ubi narratur res anno p. Chr. n. 24 gesta: „Per idem tempus Plautius Silvanus praetor incertis causis Aproniam coniugem in praeceps iecit, tractusque ad Caesarem ab L. Apronio socero turbata mente respondit, tamquam ipse somno gravis atque eo ignarus, et uxor sponte mortem sumpsisset. non cunctanter Tiberius pergit in domum, visit cubiculum, in quo reluctantis et impulsae vestigia cernebantur. Refert ad senatum, datisque iudicibus Urgulania Silvani avia pugionem nepoti misit. quod perinde creditum, quasi principis monitu, ob amicitiam Augustae cum Urgulania. reus frustra temptato ferro venas praebuit exsolvendas. mox Numantina, prior uxor eius, accusata iniecisse carminibus et veneficiis vaecordiam marito, insons iudicatur." Ut in hac narratione maritus, qui uxorem necavit, arto et gravi somno occupatum se esse simulat, ita in illa controversia uxor, quae maritum interfecit, somnum fingit.[1]) Quae quin ipsa maritum occiderit, quamquam multa privignum caecum suspectum reddunt, dubitandum non est; nam dici solet pro caeco et contra novercam.

[1]) cf. K. von Morawski, Wiener Studien IV 1882 p. 166; ,Ein Fall, wie der des Plautius Silvanus, der seine Gemahlin in der Nacht erwürgte und hernach fest geschlafen zu haben vorgab (ann. IV 22), mußte in den Declamationen einen Widerhall finden, in welchen nächtliche Ermordungen an der Tagesordnung waren. Des Plautius erste Gemahlin wurde dann angeklagt: 'iniecisse carminibus et veneficiis vecordiam marito.'"

In narratione illa, quae de Seiano ferebatur, pater venenum suspicatus filio ipsi poculum dat, quod hic non cunctatus exhaurit. Quae res rhetoribus ansam dedisse videtur controversiae, in qua pater parte poculi a filio dati hausta moritur, filius, qui residuum poculum bibit, in vita permanet: „Luxuriosum filium abdicavit pater, abdicatus medicinae studuit, postea decumbenti patri dedit poculum, quod diceret sanitatis: pater in media potione ait se venenum accepisse, filius residuum poculum bibit, et decessit pater, reus est filius parricidii," Fortunat. I 12 p. 90, 13 H. Controversia in eo posita est, quod dubium est, utrum filius patri venenum dederit necne.

Satis stulte Drusus, cum poculum a patre datum non cunctatus hauriret, putabatur metu et pudore sibimet inrogasse mortem, quam patri struxisset, cum rectius inde colligendum esset Drusum neque patrem neque se ipsum veneno necare voluisse. Contra rhetores finxerunt controversiam, in qua filius revera patri venenum parat; deprehensus simulat se velle mori, sed a patre bibere iussus venenum effundit: „Filium ter abdicare voluit pater, victus. invenit quodam tempore in secreta domus parte medicamentum terentem. interrogavit, quid esset, cui parasset. ille dixit venenum et se mori. iussit pater bibere. ille effundit medicamentum. accusatur a patre parricidii," Ps. Quint. decl. mai. 17; cf. Sen. contr. VII 3. Iuv. sat. VII 169. Similiter ficta est haec declamatio, in qua pater alia de causa filii odium excitavit: „Parricidii sit actio. pater filium in militiam vocavit. ille ornatus donis ad patrem rediit. adhibitis amicis petiit a patre, ne se amplius mitteret; non impetravit. iterum fortissime pugnavit; rediit. terens venenum a patre deprehensus est. interrogatus dixit se mori velle. parricidii reus est patri," Ps. Quint. d. 377.

Vibius Serenus, cum proconsul esset Hispaniae ulterioris, anno p. Chr. n. 23 de vi publica damnatus in

Amorgum insulam deportatus est[1]); postero autem anno revocatus est, cum filius eum accusaret insidiarum Tiberio structarum.[2]) Clementia Tiberii una vitam servavit eique permissum est, ut in exilium prius rediret.[3]) Ad hunc Vibii Sereni filium, qui patrem accusare veritus non est,[4]) rhetores spectasse existimo, cum fingerent: „Filius vult accusare patrem adfectatae dominationis, ille praescribit,“ Fortunat. I 22 p. 98, 6 H. Alia in controversia filius patrem tyrannidis affectatae accusat et damnat: „Tyrannidis affectatae damnatus torqueatur, ut conscios indicet; accusator eius optet, quod volet. patrem qui damnavit optat, ne is torqueatur, pater ei contradicit,“ Quint. inst. orat. IX 2, 81. Quod pater filio contradicit nolenti illum torqueri, filius ipse in suspicionem adfectatae tyrannidis venit. Habemus controversiam, in qua filius, postquam patrem occidit, quod tyrannidem petierit, ipse tyrannidis accusatur: „Stricto gladio et cruento processit adulescens in contionem et dixit occisum a se patrem, quod ab eo tyrannis adfectaretur. Perduxit magistratum in domum, ostendit apparatum tyrannidis. cum excuteretur corpus, inventae sunt tabellae ad filium, in quibus erat hoc: ‘abdico nisi desinis et si contradixeris indicabo causas.’ reus est iuvenis adfectatae tyrannidis,“ Ps. Quint. d. 322. Quod rhetores finxerunt patrem a filio esse interfectum, fieri potest, ut cogitaverint de Sp. Cassio, qui contra a patre de occupando regno molitus morte mactatus esse fertur.[5])

Antistius Sosianus, qui erat tribunus plebis anno 56, cum praetor esset anno 62,[6]) in exilium missus est, quod

---

1) Tac. ann. IV 13.
2) Tac. ann. IV 28.
3) Tac. ann. IV 30.
4) cf. Tac. ann. IV 28: „adulescens multis munditiis alacri vultu.“
5) Cic. de re publ. II 60. Diod. XI 37, 7.
6) Tac. ann. XIV 48.

carmina maligna in Neronem condiderat.[1]) Anno autem 66 revocatus est, quod P. Anteium et M. Ostorium Scapulam apud Neronem denuntiaverat, qua de re scriptum videmus apud Tac. ann. XVI 14: „igitur interceptis Antei litteris, furatus etiam libellos, quibus dies genitalis eius et eventura secretis Pammenis occultabantur, simul repertis, quae de ortu vitaque Ostorii Scapulae composita erant, scribit ad principem magna se et quae incolumitati eius conducereut adlaturum, si brevem exilii veniam inpetrassset: quippe Anteium et Ostorium inminere rebus et sua Caesarisque fata scrutari. exim missae liburnicae advehiturque propere Sosianus. ac vulgato eius indicio inter damnatos magis quam inter reos Anteius Ostoriusque habebantur." Quod factum compluribus subesse puto controversiis. Primum affero Ps. Quint. d. 254: „Exul, qui secretum ad rem publicam pertinens indicare voluerit, habeat in civitatem redeundi potestatem, et si indicaverit, maneat in civitate. Exul dixit se habere, quod de adfectata tyrannide diceret. venit in civitatem. postulavit reum. is aequis sententiis absolutus est. fert quidam rogationem, ut maneat. C. D." Ut Sosianus, qui exul ad principem scribit magna se et quae incolumitati eius conducant adlaturum, statim exilii veniam impetrat et arcessitur, ita in hac controversia exuli, qui dicit se facturum indicium tyrannidis, in civitatem redire licet. Cum Anteius et Ostorius damnentur, reus in hac declamatione aequis sententiis absolvitur, quamobrem dubium est, utrum exuli in exilium redeundum sit necne. Alium autem exitum praebet haec controversia: „Exulem intra fines deprehensum liceat occidere. ex suspicione tyrannidis sit actio. Exul, apud quem dives fuerat hospitatus, scripsit senatui se facturum indicium tyrannidis, si reditus sibi decerneretur. in curia cum ageretur, solus dives contradixit. decreto tamen reditu exul intra fines est occisus.

[1]) Tac. ann. XVI 21.

dives tyrannidis reus est," Ps. Quint. d. 351; cf. Calp. Fl. 6. Initium controversiae satis congruit cum illa Taciti narratione: exul scribit senatui se facturum tyrannidis indicium, qua de causa ei in civitatem redire permittitur. Quod autem dives solus, cum in curia de exulis reditu agatur, contradicit et exul rediens occiditur, id non invenerunt rhetores Romanorum, sed ex hac controversia Graeca transtulerunt: *Δημοσθένει φεύγοντι ἐγράφη καθόδου ψήφισμα. Δημάδης ἀντείρηκεν, οὐδὲν ἧττον ὁ δῆμος ἐψηφίσατο· κατιὼν Δημοσθένης εὕρηται νεκρὸς ἀσκύλευτος, καὶ κρίνεται Δημάδης φόνου,* Sopat. VIII 14, 24 W.[1]) Cum Demades caedis accusetur, in illa controversia dives, in quo caedis suspicio posita est, reus est tyrannidis.

Verisimile non est divitem ipsum exulem redeuntem necasse, sed potius putandus est alium pecunia conduxisse, qui illum interficeret. Qua meditatione mota est haec controversia, in qua is, qui exulem redeuntem trucidavit, finita tyrannide conscientiae accusatur: „Exulem intra fines peremit, qui dicebat tyrannidem indicaturum. Exorta dominatione eademque finita reus postulatur conscientiae," Sulp. Victor 37 p. 335, 18 H.

Anno p. Chr. n. 17 Tiberius M. Servilio, qui fuerat consul anno p. Chr. n. 3, hereditatem tribuit fortasse propter paupertatem, qua de re tradit Tac. ann. II 48: „et Patulei divitis equitis Romani hereditatem, quamquam ipse heres in parte legeretur, tradidit M. Servilio, quem prioribus neque suspectis tabulis scriptum compererat." Quo Tiberii facto rhetores commoti esse videntur, ut hanc fingerent controversiam: „Testamenta ultima rata sint. Intestatorum sine liberis mortuorum bona proximi teneant.[2]) Quidam primo testamento instituit heredem amicum, secundo facto alterum. decessit. posterius testamentum

---

[1]) cf. Kohl nr. 245 a.

[2]) Huic controversiae subesse ius Romanum demonstravit Sprenger l. c. p. 186. 187.

damnatum est. ambigunt de bonis priore testamento heres scriptus et propinqui,“ Ps. Quint. d. 308.

Valeria Messalina, famosa Claudii uxor, quae in lupanar ire verita non est, tam corruptis erat moribus et tanta impudentia, ut C. Silio, iuveni pulcherrimo, palam et rite nuberet, cum Claudius maritus sacrificii causa Ostiam abesset, id quod C. Silio et Messalinae perniciei erat (a. p. Chr. n. 48).[1] Fieri potest, ut illius Messalinae facinoris recordatio insit in hac controversia: „Adulterum cum adultera liceat occidere. Uxor pereginantis mariti mortem rumore cognovit. heres inventa nupsit adulescenti cuidam et domum in dotem dedit. supervenit maritus nocte. utrumque occidit. reus est caedis,“ Ps. Quint. d. 347.

Virgo Vestalis incesti damnata, quae persona et liberae rei publicae et imperatorum aetate haud raro in vita vera occurrebat,[2] in hac controversia summas partes agit: „Incesta saxo deiciatur. Incesti damnata, antequam deiceretur de saxo, invocavit Vestam. Deiecta vixit, repetitur ad poenam,“ Sen. contr. I 3. Quod rhetores finxerunt illam invocasse Vestam, id argumentum e vitae veritate sumptum est, ut docet exemplum Corneliae virginis incesti damnatae, de qua haec dicit Plin. epist. IV 11, 7: „Illa nunc ad Vestam, nunc ad ceteros deos manus tendens.“ Inventa autem a rhetoribus est lex: „Incesta saxo deiciatur“[3]) cogitantibus vel de antiquissimis temporibus, quibus homines scelerati saxo Tarpeio deiciebantur, vel de sua aetate, qua „Sex. Marius, Hispaniarum ditissimus, defertur incestasse filiam et saxo Tarpeio deicitur;“[4])

---

[1]) Tac. ann. XI 12. 26 sqq.; cf. XI 6. XIII 19. Cass. Dio LX 31, 5. Suet. Claud. 26. 29. Sen. apocol. 13. Iuv. sat. X 331 sqq.

[2]) cf. Mommsen, Strafrecht p. 928 sq.

[3]) cf. Quint. inst. orat. VII 8, 3. 5. 6.

[4]) Tac. ann. VI 19.

revera enim virgines Vestales castitate non servata vivas sepultas esse notum est.[1])

Porro afferre liceat Sen. contr. VI 8: „Virgo Vestalis scripsit hunc versum:

felices nuptae! moriar nisi nubere dulce est.

rea est incesti.“ Si rhetores certam virginem Vestalem in animo habuerunt, fieri potest, ut iis obversata sit Postumia, quae innocens anno a. Chr. n. 334 accusata est „propter cultum amoeniorem ingeniumque liberius quam virginem decet, parum abhorrens. Eam ampliatam deinde absolutam pro collegii sententia pontifex maximus abstinere iocis colique sancte potius quam scite iussit;“[2]) cf. Sen. contr. exc. VI 8 p. 265, 5: „non cultus in illa luxuriosior, non conversatio cum viris licentior, unum crimen eius vobis confiteor: ingenium habet.“ Exemplar autem illius versus videtur fuisse notissimus Mimnermi versus:

Τίς δὲ βίος, τί δὲ τέρπνον ἀτὲρ χρυσῆς Ἀφροδίτης;
τεθναίην, ὅτε μοι μήκετι ταῦτα μέλοι.

Aetate imperatorum permagnum fuisse mulierum impudicarum numerum non ignorat, quisquis Iuvenalis satiram sextam legerit; fuisse uxores, quibus cum Aethiopibus adulterium agere liberet, notat Iuvenalis sat. VI 597 sqq.:

„gaude infelix atque ipse bibendum
porrige quidquid erit, nam si distendere vellet
et vexare uterum pueris salientibus, esses
Aethiopis fortasse pater, mox decolor heres
impleret tabulas numquam tibi mane videndus.“

Sed uxor, quae Aethiopem peperit, adulterii nondum convicta erat; hanc enim invenimus controversiam: „Matrona habet, Aethiopem peperit, arguitur adulterii,“ Calp. Fl. 2. Quid autem ad uxorem defendendam proferri poterat?

[1]) De mirae conservationis argumento cf. p. 20, 7.

[2]) Liv. IV 44, 11; cf. Plut. de util. inimic. 6, 89 F: *ἀπολύσας δ' αὐτὴν ὁ ἀρχιερεὺς Σπόριος Μινούκιος ὑπέμνησε μὴ χρῆσθαι λόγοις ἀσεμνοτέροις τοῦ βίου.*

Primum dici poterat uxorem non adulterium egisse, sed in ipso legitimo conceptu Aethiopis imaginem ante oculos habuisse. Quod argumentum rhetores attulisse videmus ex Hier. quaest. Hebr. 3, 1 (Ps. Quint. decl. mai. p. 353 L.): „nec mirum hanc in conceptu feminarum esse naturam ut, quales perspexerint sive mente conceperint in extrema voluptatis aestu, quae concipiunt, talem sobolem procreent, cum hoc ipsum etiam in equarum gregibus apud Hispanos dicatur fieri, et Quintilianus in ea controversia, in qua accusabatur matrona, quod Aethiopem pepererit, pro defensione illius argumentatur hanc conceptuum esse naturam, quam supra diximus.“ Haec de conceptuum natura opinio, quae apud veteres pervulgata erat,[1]) fabula illustratur, quae narratur de femina aliqua: *Καί τις γυνὴ Αἰθίοπα ἔτεκε μήτε Αἰθίοπι συγγινομένη μήτε Αἰθίοψ οὖσα, ἀλλ' ἐν τῷ καιρῷ τῆς συνουσίας Αἰθίοπα φαντασθεῖσα.*[2]) Contra apud Heliodorum[3]) Persina Hydaspi Aethiopi puellam albam parit, quod in concubitu albam Andromedae figuram, quae pictura erat in cubiculo, contemplata est. Alia in fabula femina, ut liberos pulchros pariat, in concubitu pro marito deformi statuas vel picturas pulchras intuetur; cf. Dionys. Hal. de vet. script. cens. 1: *ὁποῖόν τι καὶ γυναῖκα ἀγροίκου παθεῖν ὁ μῦθος λέγει. Ἀνδρί, φησι, γεωργῷ τὴν ὄψιν αἰσχρῷ παρέστη δέος μὴ τέκνων ὁμοίων γένηται πατήρ. ὁ φόβος δ' αὐτὸν οὗτος εὐπαιδίας ἐδίδαξε τέχνην. Καὶ εἰκόνας πλάσας, οἶμαι, εὐπρεπεῖς ὡς αὐτὰς βλέπειν εἴθισε τὴν γυναῖκα. καὶ μετὰ ταῦτα συγγενόμενος αὐτῇ τὸ κάλλος εὐτύχησε τῶν εἰκόνων.* Eandem fabulam praebet Soranus[4]): *ὁ δὲ*

---

[1]) cf. Plut. Plac. phil. V 12. Galen. hist. philos. 32 (XIX 327 sq. K.). Plin. n. h. VII 52. Rohde, griech. Roman³ p. 476, 4.

[2]) Eliae in Porphyrii Isagogen et Aristotelis Categorias commentaria p. 231, 16 Busse.

[3]) Heliodor. IV 8.

[4]) Soran. de muliebr. affection. c. 10 p. 51, 12 sqq. ed. Ermerins (= p. 204, 12 sqq. Rose).

Κυπρίων τύραννος κακόμορφος ὢν εἰς ἀγάλματα περικαλλῆ κατὰ τοὺς πλησιασμοὺς τὴν γυναῖκα βλέπειν ἀναγκάζων πατὴρ εὐμόρφων ἐγένετο παίδων. Apud Galenum[1]), qui idem narrat, uxor pulchrum puerum pictum intuetur.

Deinde ad uxorem defendendam etiam hoc afferri poterat: uxor Aethiopem peperit, quod ipsa originem ab Aethiope duxit. Narratur enim femina, cuius abavus Aethiops erat, Aethiopem peperisse et propterea adulterii accusata esse; cf. Plut. ser. num. vindicta 21: *καὶ γυνή τις Ἑλληνὶς τεκοῦσα βρέφος μέλαν εἶτα κρινομένη μοιχείας ἐξανεῦρεν αὑτὴν Αἰθίοπος οὖσαν γενεὰν τετάρτην.* Alia in narratione uxoris Aethiopem parientis pater Aethiops fuit; cf. Aristot. de gener. an. I 18 p. 722 a: *ἀποδιδόασι γὰρ διὰ πολλῶν γενεῶν αἱ ὁμοιότητες, οἷον καὶ ἐν Ἤλιδι ἡ τῷ Αἰθίοπι συγγενομένη. οὐ γὰρ ἡ θυγάτηρ ἐγένετο, ἀλλ' ὁ ἐκ ταύτης Αἰθίοψ.* Idem commemoratur apud Aristot. hist. an. VII 6 p. 586 a: *ἀποδίδωσι δὲ καὶ διὰ πλειόνων γενῶν, οἷον ἐν †Σικελίᾳ*[2]) *ἡ τῷ Αἰθίοπι μοιχευθεῖσα. ἡ μὲν γὰρ θυγάτηρ ἐγένετο οὐκ Αἰθίοψ, τὸ δ' ἐκ ταύτης.* Aristotelem secutus narrat Antigonus (hist. mirab. 122): *ἐν Ἤλιδι δὲ ἐκ τῆς ὑπό του Αἰθίοπος μοιχευθείσης θυγατέρα μὲν γενέσθαι λευκήν, τὸν δὲ ἐκ ταύτης Αἰθίοπα.* Tum eandem invenimus narrationem apud Plinium (n. h. VII 51): „indubitatum exemplum est Nicaei nobilis pyctae Byzanti geniti, qui adulterio Aethiopis nata matre nihil a ceteris colore differente ipse avum regeneravit Aethiopem.“[3])

Iuvenalis in sexta satira cum alia mulierum vitia tum earum in servos crudelitatem reprehendit; maxime memorabiles sunt hi versus (sat. VI 219—24):

„'pone crucem servo.' 'meruit quo crimine servus
supplicium? quis testis adest? quis detulit? audi.
nulla umquam de morte hominis cunctatio longa est.'

---

1) Galen. XIV p. 254 K.

2) Recte scribit Urlichs (Rhein. Mus. XI 1857 p. 294) *Ἤλιδι.*

3) cf. etiam Tatian. adv. Gr. c. 33 (*Βησαντίδα τὴν Παιόνων βασίλισσαν, ὅτι παιδίον μέλαν ἐκύησε*).

'o demens, ita servus homo est? nil fecerit, esto:
hoc volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas.'"[1])

Meretrix eadem crudelitate praedita in hac controversia occurrit: „Meretrix servum suum amantem se in crucem agit. appellat tribunos ille de iniusto supplicio," Calp. Fl. 33; cf. Fortunat. I 20 p. 96, 20 H.

Romae aetate belli civilis etiam fidas uxores fuisse, quae maritos proscriptos sequi non dubitarent, testatur Vell. Pat. II 67: „fuisse in proscriptos uxorum fidem summam, libertorum mediam, servorum aliquam, filiorum nullam." Tum ex aetate eorum imperatorum, qui erant e Iuliorum gente, satis multa exempla habemus, in quibus uxor una cum marito e vita decedere animum inducit et interdum uxor sola perit, cum maritus in vita permaneat.[2]) Quas ad res respicientes rhetores finxerunt: „Veneficii sit actio. Proscriptum uxor secuta est. quodam tempore secreto poculum tenentem deprehendit. interrogavit, quid esset; ille dixit venenum et mori se velle. rogavit illa, ut partem sibi daret, et dixit se nolle sine illo vivere. partem bibit ipse, partem uxori dedit. perit illa sola. testamento inventus est maritus heres. restitutus arguitur veneficii," Sen. contr. VI 4. Argumentum, quo maritus et uxor venenum inter se dividunt, rhetores fortasse mutuati sunt ex fabula, quae est de Camma,[3]) quae mulier fidelis atque constans alterum maritum, qui priorem maritum de medio sustulit, ulta illum et se ipsam necat ita, ut partem veneni ipsa bibat, partem illi tradat bibendam.

[1]) cf. Iuv. sat. VI 475—95; etiam in Herondae mimiambo depingitur crudelitas dominae, quae causa aliqua interposita Gastronem servum ab alio abduci iubet. Servo autem abducenti dicit (V 32):

ἄγ᾽ αὐτὸν εἰς τὸ ζήτρειον πρὸς Ἕρμωνα
καὶ χιλίας μὲν ἐς τὸ νῶτον ἐγκόψαι
αὐτῶι κέλευσον, χιλίας δὲ τῆι γαστρί.

[2]) cf. Friedlaender, Sittengesch.[8] I p. 517 sqq.

[3]) Plut. amat 22 p. 768 B; de mul. virt. 257 E. Polyaen. VIII 39.

In comitatu, quem uxor domum mariti secum agit, enumeratur apud Senecam „et procurator calamistratus et in longam securamque libidinem exsectus spado, sub quibus nominibus adulteri delitescunt."[1]) Facete dicit Martialis (V 61) de procuratore cum domini uxore adulterium agente:

„res uxoris agit? res ullas crispulus ille?
res non uxoris, res agit ille tuas."

Easdem partes procurator agit in hac controversia: „Mortua quidam uxore, ex qua filium habebat, duxit aliam: sustulit ex ea filium. habebat speciosum procuratorem. cum saepe iurgarent noverca et privignus, iussit eum semigrare: ille trans parietem habitationem conduxit. rumor erat de adulterio matris et procuratoris. quodam tempore pater in cubiculo suo occisus inventus est, uxor vulnerata, communis paries perfossus; placuit propinquis quaeri a filio quinquenni, qui una dormierat, quem percussorem cognosceret; ille procuratorem digito monstravit. accusat filius procuratorem caedis, ille eum parricidii," Sen. contr. VII 5. In hac controversia, cui magna similitudo est cum Ps. Quint. decl. maior. 1 et 2, quaeritur, uter maritum occiderit, uxoris adulter an privignus, quamqam vix dubium est, quin procurator caedem fecerit. Mariti de medio sublati, ut uxor adultero nubere possit, *πρωτότυπον* est in fabula Agamemnonis a Clytaemestra uxore auxilio Aegisthi interfecti;[2]) cetera rhetores invenerunt, ut privignus in suspicionem veniret.

Persona lenonis mariti huic subest controversiae: „Pauper et dives vicini erant. Pauperi uxor speciosa. Rumor erat adulterari pauperis uxorem a divite conscio viro. Delatus lenocinii reus pauper et absolutus est.

---

[1]) Hieron. adv. Iovinian. I 47; cf. Friedländer. Sittengesch.[8] I p. 475 sq.

[2]) Similes narrationes inveniuntur apud Herod. I 12. Liv. I 46, 9. Tac. ann. IV 3. XIII 44.

Dives decessit herede instituto bonorum omnium paupere et elogio tali: ‘peto, ut hanc hereditatem restituas ei, cui rogavi.’ Petit a paupere uxor hereditatem tamquam fidei commissam,“ Ps. Quint. d. 325. Quae declamatio optime hoc Iuvenalis loco illustratur, ubi non fideicommissum, sed hereditas ipsa testamento pro uxore scribitur marito (sat. I 55):

„cum leno accipiat moechi bona, si capiendi
ius nullum uxori,[1]) doctus spectare lacunar,
doctus et ad calicem vigilanti stertere naso.“

Quod Iuvenalis personam lenonis mariti depingens dicit „doctus et ad calicem vigilanti stertere naso“, narratiuncula ei obversata esse videtur, quae narrabatur de Cipio quodam,[2]) postea de Gabba, scurra Augusti. De quo haec traduntur apud Plut. amat. 16, 759 F: *ὥσπερ καὶ ὁ Ῥωμαῖος ἐκεῖνος, ὦ ἑταῖρε, Γάββας εἱστία Μαικήναν, ὡς ἔοικεν, εἶθ' ὁρῶν διαπληκτιζόμενον ἀπὸ νευμάτων πρὸς τὸ γύναιον ἀπέκλινεν ἡσυχῇ τὴν κεφαλὴν ὡς δὴ καθεύδων. ἐν τούτῳ δὴ τῶν οἰκετῶν τινος προσρυέντος ἔξωθεν τῇ τραπέζῃ καὶ τὸν οἶνον ὑφαιρουμένου διαβλέψας· κακόδαιμον, εἶπεν, οὐκ οἶσθ' ὅτι μόνῳ Μαικήνᾳ καθεύδω;* Cuius generis ex narratione proverbium ortum esse videtur: „Non omnibus dormio“;[3]) cuius simile proverbium erat apud Graecos: *Μέλλος πάντ' ἀκούει.*[4]) Persona lenonis mariti, quam imperatorum aetate revera haud raro occurrisse Taciti annales docent,[5]) maxime in saturis lepide describitur.[6]) Neque desunt fabulae, in quibus eandem inveniamus personam: Liber, qui devertit apud Oeneum, captus est amore Althaeae, uxoris Oenei. Quod cum

---

[1]) cf. Mommsen, Ges. Schr. III 192 sq.

[2]) Cic. epist. VII 24, 1.

[3]) Festus p. 174 L.; de marito somnum simulante cf. etiam Ovid. art. amat. II 545. Anth. Pal. XI 4. Marx, Lucilius II p. 388.

[4]) Zenob. proverb. V 14.

[5]) Tac. ann. II 85. VI 45. XIII 46. XV 59.

[6]) Luc. Timon 16. Iuv. sat. VI 136. 282. Horat. c. III 6, 25; sat. II 5, 75. Corp. Gloss. Lat. V p. 375, 1.

maritus animadvertisset, sua voluntate urbe excessit se sacra facturum simulans; tum Liber cum Althaea concubuit.[1]) Ad similes fabulas spectans dicit Eur. Hippol. 462:

πόσους δοκεῖς δὴ κάρτ᾽ ἔχοντας εὖ φρενῶν
νοσοῦνθ᾽ ὁρῶντας λέκτρα μὴ δοκεῖν ὁρᾶν;

Etiam totis populis opprobrio datur, quod feminae consciis viris ab hospitibus adulterantur, velut Byzantinis et Illyriis.[2])

De altera Iuvenalis satira, in qua virorum vitia castigantur maximeque carpuntur viri effeminati, qui veste moribusque muliebriter se gerebant,[3]) monemur legentes controversiam: „Inpudicus contione prohibeatur. Adulescens speciosus sponsionem fecit, muliebri veste se exiturum in publicum. processit; raptus est ab adulescentibus decem. accusavit illos de vi et damnavit. contione prohibitus a magistratu reum facit magistratum iniuriarum," Sen. contr. V 6. Rhetores in hac declamatione suam depinxisse aetatem cognosces, si contuleris Sen. contr. exc. V 6 p. 251, 4: „Muliebrem vestem sumpsit, capillos in feminae habitum conposuit, oculos puellari lenocinio circumlevit, coloravit genas" cum Iuv. sat. II 93:

„ille supercilium madida fuligine tinctum
obliqua producit acu pingitque trementis
attollens oculos;"

VI 365, 21: „oculos fuligine pascit
distinctus croceis et reticulatus adulter."[4])

Ad munera gladiatoria non solum damnatos, servos, captivos deductos esse, sed etiam ingenuos Caesarum temporibus quaestus causa se auctoravisse constat.[5]) Habemus controversiam, in qua quidam patris sepeliendi

[1]) Hyg. fab. 129. Apd. I 8, 1.

[2]) Ael. v. h. III 14. 15; cf. etiam Crusius, Philol. N. F. I 1889 p. 448.

[3]) Iuv. sat. II 66—142. Tac. ann. XV 37.

[4]) cf. Ios. de Decker, Iuvenalis declamans p. 31.

[5]) Tac. ann. XIV 14. XV 32; hist. II 62. III 62. Friedlaender, Sittengesch.[8] II p. 371 sqq.

causa se auctorat: „Gladiator in quattuordecim gradibus ne sedeat. Quidam, ut patrem sepeliret, auctoravit se. die muneris productus sub titulo causae rudem postulante populo accepit. Postea patrimonium statutum per leges equitibus adquisivit. prohibetur gradibus," Ps. Quint. d. 302. Initio huius declamationis rhetores in animo habuisse videntur Cimonem, qui ut patrem sepeliret, se pro corpore patris dedisse ferebatur.[1]) Cetera moribus Romanis accommodata sunt. Recte dicit Sprenger l. c. p. 259: „Lege Roscia a. 67 a. Chr. theatrali ex quattuordecim in theatro ac postea etiam in circo ordinibus equites secreti a populo spectabant, atque optimo iure auctoratos hac lege ab equitum sedendi in quattuordecim gradibus privilegio exclusos esse licet opinari, cum liberum atque ingenuum ignominia quadam afficeret munus gladiatorium, quocum optime congruit hoc Iuvenalis (3, 158) movisse ludibrium, quod sederent gladiatorum filii in equitum ordinibus."

Etsi notum est Romae interdum annonae inopiam fuisse,[2]) tamen numquam tanta erat, quantam rhetores finxerunt in hac declamatione: „Cum civitas fame laboraret, misit ad frumenta legatum praestituta die, intra quam rediret. Profectus ille emit et ad aliam civitatem tempestate delatus duplo vendidit et duplum frumenti modum comparavit. illo cessante corporibus suorum pasti sunt. reversus ad praestitutam diem rei publicae laesae accusatur," Ps. Quint. decl. mai. 12. Quod legatus mittitur, ut frumentum emat, hoc fictum est ex consuetudine Romana; velut anno a. Chr. n. 44 Brutus et Cassius senatus consulto in Asia et Sicilia frumentum urbi Romae emere iussi sunt.[3]) Argumentum autem, quo cives in fame corporibus humanis vescuntur, rhetores sumpserunt ex iis, quae narrari solebant de incolis urbium diuturna obsidione

[1]) cf. Sen. contr. IX 1; supra p. 14.

[2]) cf. Tac. ann. XII 43; hist. I 73. 86.

[3]) cf. Drumann, Gesch. Roms ² I p. 429.

pressarum ceteris alimentis consumptis hoc modo vitam sustinentibus, id quod narrabatur de Potidaeatis,[1]) Calagurritanis,[2]) a rhetoribus etiam de Numantinis,[3]) Saguntinis,[4]) Petelinis.[5])

Neronis matri Chaldaei de filio consulenti responderunt „fore, ut imperaret matremque occideret; atque illa 'occidat', inquit, 'dum imperet'."[6]) In similem sententiam rhetores hanc controversiam finxerunt: „Vir fortis optet praemium quod volet. Qui causas <voluntariae> mortis in senatu non reddiderit, insepultus abiciatur. Quidam de partu uxoris mathematicum consuluit. is respondit virum fortem futurum, qui nasceretur, deinde parricidam. cum adolevisset, qui erat natus, bello patriae fortiter fecit. reddit causas voluntariae mortis. pater contradicit," Ps. Quint. decl. mai. 4. Malo putare rhetores hic suam in animo habuisse aetatem quam personas ex fabulis notas velut Laium, Oedipodis patrem. Recte Friedlaender adnotat in declamationum argumentis magos non occurrere apud Senecam, Petronium, Tacitum, primaque exempla huius personae inveniri in declamationibus maioribus, quae falso Quintiliani nomine inscribuntur.[7]) Mors voluntaria permissa erat in Ceo insula[8]) et Massilia urbe[9]) causa apud magistratum dicta. Hadriani aetate Euphrates philosophus ab imperatore veniam petiit mortis voluntariae.[10])

---

[1]) Thuc. II 70.

[2]) Val. Max. VII 6 ext. 3. Iuv. sat. XV 93.

[3]) Val. Max. VII 6 ext. 2. Petron. sat. 141.

[4]) Iuv. sat. XV 114.

[5]) Petron. sat. 141.

[6]) Tac. ann. XIV 9.

[7]) Sittengesch.[8] IV p. 21.

[8]) Val. Max. II 6, 8.

[9]) Val. Max. II 6, 7.

[10]) Cass. Dio LXIX 8, 3; cf. Hirzel, Arch. f. Religionswiss. XI 1908 p. 460 sq.

Sed declamationum argumenta ad veritatem et rem, ut Suetonii verbis utar, conficta non solum ex ipsa temporis praesentis memoria hausta sunt, sed etiam ex eo poeseos genere, quo maxime vitae cotidianae imago illustratur, dico ex fabulis palliatis. Cum quibus declamationes imprimis eo congruunt, quod magna parte earum personarum communium utuntur, quas in comoediis frequentes versari videmus.[1])

Persona filii luxuriosi in multis comoediis occurrit.[2]) In Terentii Andria filius luxuriosus non eam puellam in matrimonium ducere vult, quam pater vult eum ducere. Ad comoediae argumentum respiciens dicit Horat. sat. I 4, 48: „at pater ardens

saevit, quod meretrice nepos insanus amica
filius uxorem grandi cum dote recuset,
ebrius et, magnum quod dedecus, ambulet ante
noctem cum facibus."

Eandem personam adhibentes rhetores finxerunt: „Luxuriosus adulescens iuravit se uxorem non esse ducturum et abdicatur," Fortunat. I 8 p. 87, 13 H. Tum eadem persona huic subest controversiae: „Luxuriosus adulescens nocte a meretrice domo expulsus, cereum ardentem ante fores meretricis abiecit, domus arsit: agit cum eo, ut restituat," Fortunat. I 12 p. 90, 22 H. Tales res a vita vera

---

1) Sed non omnes personae, quae et in comoedia et in controversiis occurrunt, ingenio et moribus inter se congruunt; velut parasitus alias in comoedia agit partes atque in controversiis (cf. Leo, plaut. Forsch.[2] p. 157, 1). Praeterea rhetores etiam ipsi ad controversias fingendas novas personarum quasi τύπους excoluerunt, quas saepissime adhibere non verebantur, sive sunt personae ex rerum memoria derivatae velut tyrannus, tyrannicida, vir fortis, sive ex vita cotidiana desumptae velut pauper et dives, raptor, adulter, noverca. Quibus de personis copiosius agere propriae commentationis esse puto.

2) cf. Leo, l. c. p. 139, 4.

et cotidiana haud ita abhorruisse cognoscimus ex Herond. II 33 sqq., ubi leno iuvenem incusat:

κἠμὲ τὸν ξεῖνον
οὐ[δεὶ]ς πολίτης ἠλόησεν οὐδ' ἦλθεν
πρὸς τὰς θύρας μευ νυκτὸς οὐδ' ἔχων δᾶιδας
τὴν [ο]ἰκίην ὑφῆψεν οὐδὲ τῶν πορνέων
βίηι λαβὼν οἴχωκεν, ἀλλ' ὁ Φρὺξ οὗτος
ὁ νῦν Θαλῆς ἐών, πρόσθε δ' ἄνδρες Ἀρτίμμης
ἅπαντα ταῦτ' ἔπρηξε κοὐκ ἐπηιδέσθη
οὔτε νόμον οὔτε προστάτην οὔτ' ἄρχοντα.

Deinde hoc loco afferre liceat Sen. contr. III 1: „Caecus de publico mille denarios accipiat. Decem adulescentes, cum bona comedissent, sortiti sunt, ut cuius nomen exisset ex pacto excaecaretur et ita acciperet mille denarios. exiit sors cuiusdam; excaecatus est. petit mille denarios. negantur." Cum Cambyses contra Aethiopes proficisceretur, milites fame coacti esse dicuntur ex denis militibus singulos sortiri, quibus vescebantur.[1]) Idem fere, quod milites in fame, hi iuvenes luxuriosi in pecuniae penuria faciunt. Revera autem saepius accidisse, ut tales iuvenes pecunia deficiente veneno ipsi se interimerent, apparet ex Athen. XII 537 C: *τὸν δὲ Νικίου τοῦ Περγασῆθεν πλοῦτον ἢ τὸν Ἰσχομάχου τίνες ἀπώλεσαν; οὐκ Αὐτοκλέης καὶ Ἐπικλέης οἱ μετ' ἀλλήλων ζῆν προελόμενοι καὶ πάντ' ἐν ἐλάττονι ποιούμενοι τῆς ἡδονῆς, ἐπειδὴ πάντα κατανάλωσαν, κώνειον πιόντες ἅμα τὸν βίον ἐτελεύτησαν*; Ael. v. h. IV 23: *Ὅτι Περικλέα καὶ Καλλίαν τὸν Ἱππονίκου καὶ Νικίαν τὸν Περγασῆθεν τὸ ἀσωτεύεσθαι καὶ ὁ πρὸς ἡδονὴν βίος εἰς ἀπορίαν περιέστησεν. ἐπεὶ γὰρ ἐπέλιπε τὰ χρήματα αὐτούς, οἱ τρεῖς κώνειον τελευταίαν πρόποσιν ἀλλήλοις προπιόντες ὥσπερ οὖν ἐκ συμποσίου ἀπελύσαντο.*

Personam filii boni, quae in comoedia rarius occurit,[2]) ita describit Menander initio fabulae, quae dicitur Xenologus (frg. 354 K.):

---

[1]) Herod. III 25.

[2]) cf. Ribbeck, Gesch d. Röm. Dicht. I p. 63.

ἀνδρὸς πένητος υἱὸς ἐκτεθραμμένος
οὐκ ἐξ ὑπαρχόντων, ὁρῶν ᾐσχύνετο
τὸν πατέρα μίκρ' ἔχοντα, παιδευθεὶς γὰρ εὖ
τὸν καρπὸν εὐθὺς ἀπεδίδου χάριτος καλόν.[1])

Eadem persona adhibetur in hac controversia, in qua filius bonus vetante patruo patrem pauperem factum alit: „Liberi parentes alant aut vinciantur. Duo fratres inter se dissidebant; alteri filius erat: patruus in egestatem incidit; patre vetante adulescens illum aluit; ob hoc abdicatus tacuit. adoptatus a patruo est. patruus accepta hereditate locuples factus est. egere coepit pater: vetante patruo alit illum. abdicatur," Sen. contr. I 1.

Haud raro in comoediis accidit, ut pater filium luxuriosum imitatus ipse lascivire incipiat. In Aristophanis Vespis Philocleon a filio ad epulas ducitur, ubi sanatur furore causas agendi et petulans atque ebrius e scaena egreditur. In fabula Plautina, quae dicitur Bacchides, patres, qui filios a meretricibus abducere volunt, ipsi ab his corrumpuntur. Similes partes agit in Mercatore Demipho et Demaenetus in Asinaria.[2]) Rhetores eadem persona usi finxerunt: „Quidam luxuriante filio luxuriari coepit. filius accusat patrem dementiae," Sen. contr. II 6.

Pater primo severus tum indulgens, quae persona ex Terentii Heautontimorumeno nota est, in hac contro-

---

[1]) Narrationem contrariam, qua filius patrem alere non vult, legimus in ostraco apud Thebas reperto (Bull. de corr. Hell. XXVIII 1904 p. 201):

πατὴρ ποθ' υἱὸν εὐποροῦντα τῷ βίῳ
καὶ μηδὲν αὐτῷ τὸ σύνολον δωρούμενον
ἐπὶ τὸν Σκύθην Ἀνάχαρσιν ἦγεν εἰς κρίσιν,
ἐβόα δ' ἐκεῖνος· τοῦτον οὐ θέλω τρέφειν,
οὐκ οἰκίαν, οὐ κτήματ', οὐ χρυσοῦ βάρος.

cf. Sen. contr. I 7 „patrem egentem non alit." Leo, Hermes XL 1905 p. 159 sq. Crusius, Philol. N. F. XVIII 1905 p. 143.

[2]) cf. Ribbeck, l. c. p. 81. 82.

versia inducitur: „Abdicavit quidam filium; abdicatus se contulit ad meretricem. ex illa sustulit filium. aeger ad patrem misit. cum venisset, commendavit ei filium suum et decessit. pater post mortem illius adoptavit puerum; ab altero [pater] filio accusatur dementiae," Sen. contr. II 4; cf. Calp. Fl. 30. Quod in hac controversia alter filius luxuriosus est, alter frugi, hoc par fratum dissimilium invenimus etiam apud Horat. ep. II 2, 183, quo loco Horatius de recto pecuniae usu loquitur:

„Cur alter fratrum cessare et ludere et ungui
praeferat Herodis palmetis pinguibus, alter
durus et importunus ad umbram lucis ab ortu
silvestrem flammis et ferro mitiget agrum,
scit Genius."[1])

Inter avaritiae exempla comica primus appellandus est leno.[2]) In Plauti Pseudulo et in Terentii Phormione e duobus amantibus ei puella a lenone addicitur, qui prior pretium attulerit. Eodem argumento rhetores usi sunt in hac controversia: „Inscripti maleficii sit actio. Pauperis et divitis filii eandem meretricem amabant. Leno condicionem posuit ei se traditurum esse meretricem, qui pretium prior attulisset. Pauperis filium in solitudine dives flentem stricto gladio invenit. interrogavit causam; ille dixit se mori velle ob amorem meretricis, pretium ei donavit. redemit adulescens meretricem. agit pauper cum divite inscripti maleficii," Ps. Quint. d. 344. Tum leno turpissima avaritia insignis in hac occurrit declamatione: „Adulescens cum amaret ancillam meretricem et multa ei donasset, amatorium dedit. videbatur amare ancilla adulescentem. agit leno cum eo damni iniuria dati," Ps. Quint. d. 385.[3]) Similes partes agit in Plauti Pseudulo Ballio leno, qui

[1]) cf. etiam Sen. contr. III 3.

[2]) Ribbeck l. c. p. 69.

[3]) cf. Sprenger l. c. p. 223.

Calidorum consuetudine amatae meretricis diutius uti vetat.[1])

Cum persona lenonis arto similitudinis vinculo conexa est persona meretricis, quae contempto paupere amatore solam pecuniam inhiat.[2]) Quam personam primus Menander excoluisse videtur in fabula, quae inscribitur Thais (frg. 217 K.):

ἐμοὶ μὲν οὖν ἄειδε τοιαύτην, θεά,
θρασεῖαν, ὡραίαν δὲ καὶ πιθανὴν ἅμα,
ἀδικοῦσαν, ἀποκλῄουσαν, αἰτοῦσαν πυκνά,
μηδενὸς ἐρῶσαν, προσποιουμένην δ᾽ ἀεί.

Qua in persona haec nititur controversia: „Meretrix amatori suo pauperi dedit odii potionem. adulescens desiit amare, accusat illam veneficii,“ Ps. Quint. decl. mai. 14. 15. Meretricem avaram, quae multos amatores detinet nullum amans vere, pulchre ita describit Cn. Naevius in Tarentilla v. 75 sqq. Ribb.:

„Quase in choro ludens datatim dat se et communem facit,
alii adnutat, alii adnictat, alium amat, alium tenet,
alibi manus est occupata, alii percellit pedem,
anulum dat alii spectandum, a labris alium invocat,
cum alio cantat, at tamen alii suo dat digito litteras.“

Talis meretrix rhetoribus idonea visa est ad controversiam fingendam, in qua amatores inter se contendunt, quem illa maxime diligat: „Meretrix ex tribus amatoribus alium osculata est, alii residuum poculum dedit, alium coronavit: contendunt, quem magis diligat,“ Fortunat. I 10 p. 88, 30 H. Argumentum trium amatorum invenimus iam in Plauti Truculento,[3]) ubi Phronesium tres amatores ludificat.

[1]) Plaut. Pseud. 274 sqq.

[2]) Plaut. Asin. 524. Luc. dial. meretr. 7. 8. 14. Alciphr. ep. I 36. Aristaen. ep. I 14. Anth. Pal. V 30. 113. 114; cf. Ribbeck l. c. p. 67. Leo, plaut. Forsch.[2] p. 149.

[3]) Plaut. Truc. 75 sqq.

Meretrici quasi contraria est virgo in lupanari locata, cuius pudicitia intacta manet, de quo argumento in comoedia obvio dicit G. Thiele[1]): „Wenn auch, wie die antike Aesthetik definiert, das *argumentum* eine *ficta res* ist, *quae tamen fieri poterit, velut argumenta comoediarum* (auct. ad Her. I 12. 13), so behandelt trotzdem die neuere Komoedie nicht bloß Dinge, die jeden Tag passierten. Auch außerhalb der nie ausgestorbenen mythologischen Burleske hat sie nie auf die phantastische Gestaltung der Stoffe verzichtet. Und dahin rechne ich nun auch das Motiv der unschuldig im Bordell festgehaltenen Jungfrau. Mochte auch die Seeräuberei und die daraus folgende Sklaverei gerade in diesen unruhigen Zeiten manches Menschenschicksal abenteuerlich gestalten, mochten auch die jungen Athener, deren Leben und Treiben die Komoedie zeichnet, stets in Händeln mit den Bordellwirten liegen; aber im gewöhnlichen Leben wird der Gang der Abenteuer durchschnittlich der gewesen sein, daß der Sohn dem Hetärenleben mit Güte oder Gewalt entzogen und zu einer standesgemäßen Ehe genötigt wird. Diesen mehr oder weniger schroffen Uebergang überbrückte der Dichter der Komoedie durch das Motiv von den ehrbaren Jungfrauen, die als Sklavinnen eines Kupplers trotz allen Elends ihre Reinheit bewahren. Hier hört durchaus der Realismus auf, denn dieses Motiv ist romantisch und hat auch später in der Weltlitteratur stets als solches gewirkt. Dieses Motiv verwenden der Curculio, die Cistellaria (hier tritt für den Bordellwirt der Hetärenhaushalt ein), der Poenulus; schwankhaft gewendet erscheint dasselbe Motiv im Pseudolus und anderen; abgeschwächt finden wir es im Epidicus und Miles, ganz abgeblaßt bezeichnender Weise in der *Περικειρομένη*, im Eunuchus und der

[1]) Hermes XLVIII 1913 p. 539; cf. Ribbeck l. c. p. 96, Reitzenstein, Werden u. Wesen der Humanität im Altertum 1907 p. 26, 7.

Andria . . . So ist das Motiv, wie in anderen Stücken, auch im Rudens in die Handlung verflochten.“ Idem argumentum huic subest controversiae: „Sacerdos casta e castis, pura e puris sit. Quaedam virgo a piratis capta venit. empta a lenone et prostituta est. venientes ad se exorabat stipem. militem, qui ad se venerat, cum exorare non posset, conluctantem et vim inferentem occidit. accusata et absoluta et remissa ad suos est: petit sacerdotium,“ Sen. contr. I 2. Similiter apud Xenophontem Ephesium [1]) Anthia latronem vim sibi inferre conantem gladio necat; in lupanari autem eo pudicitiam servat, quod simulat morbum comitialem. [2]) Tum in fabula, quae est de Apollonio Tyrio, hoc narratur [3]): Piratae Mytilenam naves appellunt et Tharsiam vendunt lenoni, sed pudicitiam servare scit, cum eos, qui veniunt, exoret, ut sibi parcant et tamen stipem dent, quam lenoni dare debet. Ibi similes nos invenire sententias atque in controversia illa mirandum non est; velut legimus in Hist. Apoll. c. 30: „amiante, vade ad cellam, ubi Briseis stetit, et ista puella ornetur diligenter et titulus scribatur;“ cf. Sen. contr. I 2 § 1: „titulus inscriptus est“; § 7: „stetisti sic ornata, ut populo placere posses, ea veste, quam leno dederat, nomen tuum pependit in fronte.“

In Epidico Plautina pecunia a patre ad redimendam filiam praebita non haec redimitur, sed fidicina a filio amata. In Asinaria pecunia, quae dispensatori tradenda est, adhibetur ad filii puellam redimendam. Habemus controversiam, in qua filius pecunia patris suam amatam redimit, quamquam iussus est patris meretricem redimere:

---

[1]) Xenoph. Ephes. IV 5.

[2]) Xenoph. Ephes. V 7.

[3]) cf. E. Klebs, Die Erzählung von Apollonius aus Tyrus p. 303. P. Wendland, de fabellis antiquis p. 23, 5. Obiter adnotem illud argumentum usque ad nostram durasse aetatem: F. Dülberg, Das Korallenkettlein, 1907, Drama in 4 Akten.

„Diversas meretrices amabant pater et filius. Pater filio pecuniam dedit, ut amatam patris redimeret, ille suam redemit, abdicatur,“ Calp. Fl. 37, cf. Ps. Quint. d. 356, ubi, cum in comoedia saepius turpiter pater et filius eiusdem puellae amore flagrent (vide Plauti Asinariam, Casinam, Mercatorem)[1]), rhetores finxerunt patrem et filium diversas amare meretrices.

Argumentum fratrum similium, quod rhetoribus maxime ex Plauti Menaechmis notum erat, in usum vocatur in hac declamatione: „Ex duobus geminis fratribus similibus alter exulabat, fratrem eius quidam tamquam exulem occidit. reus est caedis,“ Fortunat. I 16 p. 94, 1 H. Tum fratres similes, non eadem matre nati occurrunt in hac controversia, quae finem faciat huius libelli: „Quidam mortua uxore, quae in partu perierat, alteram duxit; puerum rus misit. ex illa subinde filium sustulit. utrumque puerum ruri educavit; post longum tempus redierunt similes; quaerenti matri, uter eius sit, non indicat. accusatur ab ea malae tractationis,“ Sen. contr. IV 6. Quod rhetores finxerunt maritum uxori quaerenti, uter suus esset filius, non indicasse, iis obversatae esse videntur Euhemeri fictiones, qui civitatem descripsit, in qua matres ipsae nesciunt, qui cuiusque liberi sint. quam ob rem summa concordia est; de qua re narrat Diodorus II 58, 1: *γυναῖκας δὲ μὴ γαμεῖν, ἀλλὰ κοινὰς ἔχειν καὶ τοὺς γεννηθέντας παῖδας ὡς κοινοὺς τρέφοντας ἐπ᾽ ἴσης ἀγαπᾶν. νηπίων δ᾽ ὄντων αὐτῶν πολλάκις τὰς τρεφούσας διαλλάττειν τὰ βρέφη, ὅπως μηδὲ αἱ μητέρες ἐπιγινώσκωσι τοὺς ἰδίους. διόπερ μηδεμιᾶς παρ᾽ αὐτοῖς γινομένης φιλοτιμίας ἀστασιάστους καὶ τὴν ὁμόνοιαν περὶ πλείστου ποιουμένους διατελεῖν*; cf. Sen. contr. exc. IV 6 p. 237, 10: „iam lites sunt, et nondum indicavi.“

---

[1]) cf. Leo, plautin. Forsch.[2] p. 156.

Index
declamationum tractatarum.

Vita.

Natus sum Maximilianus Schamberger a. d. XVII. Kal. Oct. a. 1892 in vico prope Coburgam sito, qui dicitur Wohlbach, patre Gustavo, matre Anna e gente Heimann. Fidei addictus sum evangelicae. Primis litterarum elementis imbutus gymnasium Casimirianum Coburgense per novem annos frequentavi; vere a. 1911 maturitatis testimonium adeptus Heidelbergam me contuli, ut litteris Graecis, Latinis, Germanicis operam navarem. Post annum Halas Saxonum migravi, ubi iisdem me dedidi studiis. In bello gravi, quo nunc patria undique oppressa libertatem defendit, corporis infirmitate impeditus sum, ne diutius quam duos menses (1914/15) stipendia facerem.

Docuerunt me viri doctissimi et scholis et exercitationibus Heidelbergenses: Boll, Braune, Brandt, de Duhn, Grützmacher, Schöll, Sütterlin; Halenses: Bechtel, Bremer, Fries, Jahn †, Jaensch, Kern, Krueger, Leuze, Menzer, Praechter, Robert, Saran, Strauch, Wissowa.

Quibus omnibus praeceptoribus optime de me meritis semper gratiam habebo maximam, praecipue autem Georgio Wissowa, qui ad hanc dissertationem conscribendam me incitavit in eaque perficienda benignissime adiuvit.